Apud Romanos, teſte Livio, concedebatur purpura Magiſtratibus, pueris prætextatis, Senatoribus, & ſacerdotibus inter ſacrificandum, triumphantibus, viris præclaris, & ob res geſtas celebribus, qui etiam cum ejuſmodi veſtibus ad ſepulturam deferebantur.

Purpuram Imperatoriam plerique omnes vocant. Unde *Chryſoſt. ſerm. de Anthemio*, ut privatus homo regiam ſibi purpuram circumponens, unà cum omnibus, qui ſe juverint, punitur ut tyrannus. *Sidonius carm. 2.*

—— Diademate crimen
Faſtigiatus eas, humeroſque ex more priorum
Includat Sarrana Chlamys.

Immò & purpuram pro Imperatore ponit *Claud. Paneg. 3. Stilic.*

—— Poſito jam purpura faſtu.
De ſe judicium non indignatur haberi.

Et quamvis primùm purpuræ uſus promiſcuus videatur fuiſſe, tamen vulgò tandem interdictus fuit. Et inter primos chlamydem purpuream induit Vitellius, ait *Sueton.*

Apud Livium, & Juſtinum purpurati vocantur aulici Regum Aſiæ.

Alexander milites ſuos purpura ornatos incedere voluit. Quin in ſepulchris Imper. velamen purpureum fuit, quod quidam à tumulo Diocletiani furatus, quibuſdam conſciis occultare dicebatur, ait *Ammian. l. 16.*

Sed tantopere fuit ab Imp. expetita, ut ipſa etiam chelandia lembi, ac navigia quibus in mari procedebant, purpureo colore tingerentur, iiſque uſum Conſtantinum *P. Diaconus* refert.

Etiam in purpura naſci Impp. filios volebant. *Annal. lib. 7.* Alexiadis domum fuiſſe ſcribit nomine Purpuram partui reginarum conſecratam, cujus & meminit *P. Diacon. l. 23.*

Species, Pretium, Opificium.

Purpuræ ſpecies variæ, duæ reliquas coloris præſtantia, & tenacitate excellunt, & Tyria, & Sidonia, utraque in pretio. Unde *Ovid.*

Et quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Et Seneca.

Nec Sidonio mollis aheno.
Repetita bibit lana colores.

Laconicæ purpuræ meminit *Valer. l. 1. Argonaut.*

Illis Tænario pariter tremit ignea fuco
Purpura.

At non erat cuivis liberum purpuram tingere, ſed erat inter alios Magiſtratus præfectura Baphiorum, & tingendæ purpuræ, qua ut ingenti munere donavit in Tyro Dorotheum Eunuchum Pamphili, ac Euſebii præceptorem Imperator, ut ſcribit *Euſebius l. 7. c. 28. Nicephor. l. 6. c. 35.*

Ammianus Marcellinus tradit *l. 14.* tincturam purpuræ, ſive officium purpurarium non cuivis permiſſum: extantque leges ſeveræ adversùs tranſgreſſores. *C. lib. 2. tit. de veſtib. holoſ. & lib. 1. quæ res venund.* Immò ex iis apparet ſolitum exerceri in Gynæciariis, adeòque à mulieribus. Hinc & Paulus *Actor. 16.* meminit mulieris purpurariæ, Πορφυρόπωλις quaſi venditrix purpuræ.

Putantur tinctores ex Tyro, & Sidone primùm veniſſe, & Conchylia portaſſe, ex quorum ſanguine efflorèſcit purpura, legatur *S. Clemens l. 2. Pædagog.*

Puſillanimitas.

* Definitio, et Etymologia.

PUſillanimitas, Græcè ἀνανδρία, μικροψυχία, & μικρόψυχος, ἄνανδρος, puſillanimis dicitur. Eſt autem puſillanimitas, virtus oppoſita magnanimitati per defectum, quia deficit puſillanimis à proportione ſuæ potentiæ, dum recuſat in illud tendere, quod eſt commenſuratum ſuæ potentiæ.

Puſillanimitas eſt contraria magnanimitati ſecundùm defectum, præſumptio autem ſecundum exceſſum, ideò utraque eſt peccatum. *B. Thom. 2. 2. q. 130.*

Puſillanimitas, *ſecundùm Ariſt.* eſt vitium, quo impotentes videntur animi, ad felicitatem, infelicitatemque, honorem & dedecus ſuſtinendum.

Hoc igitur vitium ſupponit apprehenſionem, qua quis omnis tanquam nimis magna, & facultatem ſuam, aut dignitatem excedentia concipit, quo fit, ut detrectet officia, & dignitates, ad quæ idoneus aliàs eſſet, aut opera bona, quæ aliàs præſtaret. Si autem id, quod detrectat, tale ſit, quod ſub mortali peccato tenetur implere, erit peccatum mortiferum: ſecus veniale.

Puſillanimorum Phyſiognomiam deſcribens *Ariſt. cap. 6. Phiſiog.* dicit: Puſillanimem eſſe parvorum membrorum, articulorum, macrum, parvorum oculorum, parvæ faciei: qualis inquit fuit Leucardius Corinthius.

Et iterùm *lib. de virtutib.* puſillanimitatis mores depingit his verbis:

Puſillanimitatis eſt non honorem, nec ignominiam, nec felicitatem, nec infortunia poſſe ferre, ſed honoratum intumeſcere, & levi ſucceſſu proſpero auctum efferri, ignominiam autem ne minimam ferre poſſe, aberratio vero eſt, infortunium non dijudicare magnum, conqueri de omnibus, & ægro animo ferre: præterea talis, ut omnes neglectus contumeliam, & ignominiam vocet etiam per imprudentiam, & oblivionem admiſſos, quam concomitantur ſordes, querimonia, diffidentia, humilitas.

* PUSILLANIMES
Ex S. Scriptura.

Cùm dixiſſent Angeli ad Loth: in monte ſalvum te fac, Reſpondit: non poſſum in monte ſalvari, ne fortè apprehendat me malum. Et tunc pejus ei accidit. *Gen. 19.*

Videntes Filii Iſrael Ægyptios poſt ſe, timuerunt valde, licet vidiſſent tot miracula facta pro eis poteſtate divina. *Exod. 14*

Loquente Domino Moyſi in monte, Populus audiebat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumigantem, & perterriti, ac pavore percuſſi ſteterunt procul dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. *Exod. 20.*

Revelatione facta de conditionibus terræ promiſſionis, quæ habebat cultores fortiſſimos, & urbes grandes, atque mutatas, dixit Turba: Utinam mortui eſſemus in Ægypto, & dixerunt, nuntii terruerunt nos. Sicut dicit *Deut. 1. Num. 13. & 14.*

Videns Balaac rex Moab omnia, quæ fecerunt filii Iſrael Amorrhæis, & quòd timuiſſet populus ejus, plus confiſus eſt in verbis quàm in armis, unde nuntios miſit ad Balaam, ut veniret, & malediceret filiis Iſrael. *Num. 22.*

Exploratoribus, qui venerant ex parte Joſue, dixit Rachab: Novi, quòd tradiderit Dominus terram vobis, & jam irruit in nos terror veſter, & clanguerunt omnes habitatores terræ. *Joſue 2.*

Poſtquam Acham tulerat de anathemate Jericho, fugaverunt filii Hai filios Iſrael, & corruerunt ex eis triginta ſex homines, pertimuitque cor populi, & inſtar aquæ liquefactum eſt. Joſue verò ſcidit veſtimenta. *Joſue 7.*

Gabaonitæ audientes cuncta, quæ fecerat Joſue Jericho, & Hai, timuerunt, & venientes ad Joſue fecerunt pactum ad voluntatem ipſius. *Joſue 9.*

Cùm haberet Gedeon in exercitu ſuo triginta duo millia hominum, clamatum fuit. Qui formidoloſus eſt, revertatur. Et reverſa ſunt ex populo viginti duo millia hominum. *Judic. 7.*

Saul, & omnes Iſraelitæ audientes ſermones Goliath Philiſtæi, ſingulare certamen petentis, ſtupebant nimis. *1. Reg. 17.*

Congregavit Saul univerſum Iſrael, & venit in Gelboe, & vidit Saul caſtra Philiſtiim, & timuit, & expiavit cor ejus nimis. *1. Reg. 28.*

Roboam rudis, & corde pavido, non potuit reſiſtere exercitui, quem Jeroboam congregavit contra eum. *2. Par. 13.*

Cum audiſſet exercitus Aſſyriorum Holofernem eſſe decollatum, fugit mens, & conſilium ab eis, & ſolo tremore, & metu agitati fugæ præſidium ſumunt. *Judith. 15.*

Nuntiatum eſt domui David, quòd rex Iſrael, & rex Syriæ confœderati deberent contra Jeruſalem præliari: & commotum eſt cor ejus, & cor populi ejus, ſicut commoventur ligna ſylvarum à facie venti. *Iſaiæ 7.*

Onus Tyri deſcribens Iſaias, dicebat, Formido, & fovea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ. *Iſaiæ 24.*

Propheta Jeremia ex parte Domini prophetante, Jeruſalem capiendam eſſe, dixerunt principes populi Sedechię: Rogamus ut occidatur homo iſte, qui tanquam pavidus, & miſer reſpondit eis: Ecce ipſe in manibus veſtris eſt. Neque enim fas eſt regem vobis quicquam negare. *Jerem. 38.*

Darius, Rex Perſarum, ſtatuit de conſilio Satraparum quoddam crudele decretum, quod cùm tranſgreſſus eſſet Daniel, miſſus eſt in lacum leonum, & tamen diſplicuit regi, ſed illis Satrapis viriliter contradicere non audebat. *Daniel. 6.*

Videns Judas Machabæus quòd refluxerat exercitus ſuus, & bellum perurgebat eum, confectus eſt corde, & in bello illo cecidit.

cecidit. Nec legitur idem Judas aliis in bellis, vel alibi timuiſſe 2. *Mach. 8.*

Nicanor contraxit amicitias cum Juda Machabæo, quod diſplicuit Antiocho regi, & mandavit Nicanori, ut hinc mitteret ei Judam, qui hoc invitè faciebat. Sed tamen voluntati regis reſiſtere non audebat. Unde ſi potuiſſet, malam voluntatem regis impleviſſet. *2. Mach. 14.*

Arguit Dominus puſillanimitatem Diſcipulorum, quia commotionem maris ipſo præſente timebant, unde ait: quid timidi eſtis modicæ fidei? *Matth. 8.*

Ambulans ſupra mare Petrus, veniebat ad Dominum. Videns autem ventum validum timuit. *Matth. 24.*

Videntes Diſcipuli capi Dominum, & ligari, relicto eo fugerunt omnes. Petrus autem ſequebatur eum à longè; quia appropinquare non audebat. *Matth. 26.*

Puſillanimis Petrus fuit nimis, quando ad vocem unius ancillæ Dominum poſt tantæ audaciæ verba negavit. *Eodem.*

Similiter Adoleſcens ille amictus ſindone, cùm teneretur à miniſtris, maluit amittere ſindonem, & nudus aufugere, quàm ibi amplius remanere. *Marc. 14*

Puſillanimitas videtur fuiſſe in Nicodemo, quòd ipſe venit ad Jeſum nocte, quaſi non venire auderet de die. *Joan. 3.*

Parentes illius cæci nati, à Domino illuminati, reſponderunt timidè Phariſæis, eo quòd timebant extra ſynagogam fieri. *Joan. 9.*

PUSILLANIMITAS, ANIMI DEJECTIO IN HONORE, VEL
Acquirendo, Acceptando
Quo, Quali. Puta.
Epiſcopatum.

Cùm Evagrius presbyter ad Epiſcopatum obeundum aliquando à Theophilo Alexandrino impelleretur, per fugam elapſus eſt: quod & ante eum Ammonius fecerat. Cui cùm Evagrius objeciſſet, reum ſcilicet eſſe coram Deo, quòd ut ne Epiſcopus crearetur, aurem ſibi amputaſſet: reſpondiſſe ei Ammonius fertur: An non putas pœnas te daturum, Evagri, quod linguam tu tibi propter φιλαυτίαν, collato tibi à Deo docendi dono non utens, abſcideris? *Socrates l. 4. c. 23. Sozomenus l. 6. c. 30.*

Præfecturam.

Victo, & fugato in acie Pharſalica Pompejo, cui Cicero valetudinis cauſa non interfuit: Cato, qui magnas copias, & claſſem habebat Dirrachii, contendit, ut exercitui Cicero cum Imperio præeſſet. Ita conveniens legibus eſſe, quod dignitate conſulari præcelleret. Cicero quia repudiaret Imperium, planèque detrectaret eorum arma ſequi, penè fuit interemptus, Pompejo adoleſcente, ejuſque amicis proditorem eum vocantibus, & gladios diſtringentibus: ni obſtitiſſet Cato, qui ægrè eripuit eum, & caſtris eduxit. *Plut. in Cicerone.*

Comitatum honorificum.

Domitianus Cæſar oblatum à Senatu novum, & inexcogitatum honorem, quanquam omnium talium appetentiſſimus, metu inſidiarum, recuſavit: quo decretum erat, ut quoties gereret conſulatum, equites Rom. quibus ſors obtigiſſet, trabeati, & cum haſtis militaribus præcederent eum, inter lictores, apparitoreſque. *Suetonius.*

Propter Quid. Ob
Fortitudinem.

Obſidente Derthonam Mediolanenſibus amicam Friderico I. Imp. Strator quidam, ut reliquos ad ſimile petendum decus accenderet, gladio, clypeo, & parva ſecuri ſumpta, aggerem, qui Rubeæ turri altiſſimæ præjacebat, conſcendit, ac via, qua pedem figeret, ſecuri facta, in montem evaſit, atque ad ſemirutam turrim proceſſit, nullis lapidum, telorumque ictibus territus, ibique viriliter pugnando militem etiam armatum ad terram dejecit, atq; inter tot pericula inviolatus revertitur ad ſuos. Cujus facti admiratione Fridericus affectus, hominem ad ſe vocari, ac militari cingulo donatum equitem eſſe juſſit. Verùm ille ſe plebejum eſſe, atque in eo ordine manere malle reſpondit, quamobrem liberaliter donatus ad contubernium ſuum eſt remiſſus. *Sigon. l. 12. regni Ital.*

Pidem.

Pheres, rex Theſſaliæ, pro Admeto filio mori recuſans, eodem objiciente ſibi, quòd inglorius moriturus eſſet, reſpondit apud *Eurip. in Alceſtide.*

Κακῶς ἀκούειν, οὐ μέλει θανόντι μοι.
Male audire, non curæ eſt mortuo mihi.

CONSERVANDO.
Quem, Qualem Honorem. Puta
Magiſtratum.

Quidam tradiderunt, Pittacum, ubi ſe abdicaſſet Imperio, dixiſſe, χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι, id eſt, difficile bonum eſſe. At Solonem, Pittaci mollitiem, atque ignaviam taxantem, dixiſſe χαλεπὰ τὰ καλά: id eſt, Difficilia quæ honeſta, utriuſque dictum in proverbium abiiſſe.

Exiſtimationem Reipublicæ.

Cleomene rege Laconum, qui Iſagoram Athenas reduxerat, ejecto, Athenienſes revocatis cum Cliſthene ſeptingentis militum familiis, quos Cleomenes exegerat, Sardis miſerunt Legatos ad contrahendam cum Perſis ſocietatem, veriti potentiam Lacedæmoniorum. Ut Sardis venere nuncii, mandataque expoſuere, percontatus eſt eos Artaphernes Hyſtaſpis filius, Sardium prætor: Quinam homines eſſent, Athenienſes: & ubi terrarum incolentes, qui ſocii Perſarum fieri orarent. Ubi id ex nunciis audivit, ita eis ingenuè reſpondit: Si regi Dario terram darent, & aquam, ſe contracturum cum eis ſocietatem: ſin minus, illos abſcedere præcepit. Nuncii inter ſe collocuti, quòd ſocietatem facere cuperent, daturos ſe eſſe dixerunt. Quo nomine ubi reverſi ſunt domum, vehementer accuſati ſunt. *Herod. l. 5.*

Quomodo. Videlicet
Ferendo objurgationem.

Ludovicus XI. Gallorum rex, Corterii medici objurgationes, quas vix mediaſtinus ab impotente domino ferret, tam ſtupida tulit patientia, ut qui erga omnes tyrannum ſe gerebat, medici mancipium eſſet: cujus arte ſe immortalem fore ſtultiſſimus homo ſperabat. *Phil. Cominæus.*

Humiliando.

Perseus, Macedoniæ rex, à L. Paulo Æmilio captus, tam humilem ſe geſſit, & contemptum, ut inſtar ſervi ad pedes victoris ſeſe abjecerit, hocque ipſo Æmilii victoriam per ſe ſplendidam, ignaviæ ſuæ oſtentatione offuſcarit. *Plut. in Æmil.*

Cùm Ladislao Hungariæ, & Boemiæ regi Magdalena Caroli VII. Galliæ regis F. deſponſata eſſet, & ea jam per legatos foret abducenda, de nuptiarum loco eſt oborta contentio. Hungari Budæ, Auſtrales Viennæ, Boemi Pragæ nuptias celebrari cenſebant oportere. Cùm rex animi dubius hæreret, Georgius Pogiebrachius, Boemiæ gubernator, cum octingentis equitibus in Auſtriam ad Danubium uſque venit, magna ſe habere dicens, quæ regi communicaret. Traiicere Danubium, ac urbem intrare juſſus, recuſavit, ſe Viennenſes ſemper ſuſpectos habuiſſe. Rogatus per internuncios, arcana quæ haberet, regi nunciaret, pertinaciùs abnuit: ac affirmavit. Nemini ſe illa, præterquam regi tantùm, eſſe crediturum. Rex tandem victus, in tanta pertinacia præter dignitatem majeſtatis ſuæ, cum togato ferè trium millium equitum exercitu, potiùs quàm ſagato, Danubium ad gubernatorem trajecit. Inter bina caſtra in ulteriori Danubii ripa tabernaculum ad ſingulare colloquium paratur. Dies quatuor colloquium habitum. Tandem ita diſceſſum, ut gubernator iratus, & minabundus in Moraviam recederet. Rex ea nocte Viennam ſe recepit: cumque mox pœnitentia non parva ſubiit, gubernatorem, in cujus manu Boemici regni ſumma foret, indignabundum dimiſiſſe. Quoſdam ex optimatibus repentè dimiſit, qui aut hominem reconciliatum reducerent, aut ſi non poſſent, omnia regem poſtulata pollicerentur. Cùm in Moravia Georgium conſequuti ab itinere revocare non poſſent, regis tranſitum in Boemiam promiſere, celebrationem quoque nuptiarum Pragæ futuram nunciarunt. Unde non parva propinati Ladislao, Pragæ ſubitò mortuo, veneni ſuſpicione, Georgius laboravit. *Bonfin. l. 8. Dec. 3.*

Fugiendo.

Cn. Pompejus clade Pharſalica accepta, magnum ſe non eſſe amplius recordans, attonito ſimilis, è caſtris abſque comitatu ſe lento gradu ad mare contulit, priſtini decoris, & magnanimitatis penitus oblitus. *Plutarchus.*

PUSIL-

PUSILLANIMITAS IN TOLERANDIS MALIS, QUÆ ANIMUM TURBARE POSSUNT.

A *Quæ animum commovent, varia ſunt. Interna quædam, Cogitationes, Phantaſmata, Somnia. Externa pleraque, Corporis, Fortunæve bonis incommodantia: quibus objectis ea pars animæ, quæ perturbationibus obnoxia eſt, ad Triſtitiam, Timorem, Invidiam, Deſperationem, Æmulationem, Iram, & quæ horum ſunt conſectanea, ad Vindictam, Fugam, Abnegationem, Cædem, Indulgentiam, & ſimilia abripitur. Quo quidem conſiderationis modo omnia ea mala, quæ vel corpori, vel fortunis incommodando, puſillanimes reddunt, ut reſpectu primæ ſuæ impreſſionis ad ſequentes Titulos referuntur: ſic reſpectu ejus, quem in animo concitant motus, hîc quoque locari poſſent. Semel monuiſſe ſat eſt.*

Priſcus MIDAS ex ſomniis examinatus, & perculſus adeò afflicto animo fuit, ut hauſto cruore taurino necem ſibi ultrò conſciverit. *Plut. de Superſtitione.*

Rex Meſſeniorum ARISTODEMUS bello, quod adversùs Meſſenios gerebat, quòd canes luporum more ulularent, apud focum paternum ſuppullularet gramen, averſarenturque ea oſtenta fatidici, ſummiſſis prorſus animis, ac ſpe abB ſciſſa, ſemetipſum jugulavit. *Idem.*

PUSILLANIMITAS, IN TOLERANDIS MALIS CORPORIS. NON TOLERARE MALA Corporis tolerabilia. Puta FAMEM, SITIM.

☞ *Ex Tit. Commeatum hoſtium intercipere, huc quædam. Loco de Hoſtibus.*

ESAU fami nimiùm indulgens, lentis edulio jus primogenituræ magno ſuo cum malo commutavit. *Gen. 25.*

LYSIMACHUM memoria prodit, cùm fuiſſet in Thracia prælio victus à Dromichæte, ac ſiti ferè enectus, ſe, exercitumque hoſti permiſiſſet, tam deſiderio expleto: O dii, inquit, quàm puſillæ voluptatis gratia in ſervitutem me ex tanto rege conjecit! *Cælius l. 9. c. 13. Antiq. Lect.*

Scodrenſes, obſeſſi à Turcis, cùm ad id inopiæ aquarum ventum eſſet, ut vix modicum quid ſingulis diſtribuendo tres adhuc dies ſuffecturæ crederentur: abeunte hoſte præcipites ſitibundum agmen ad ſubjectum flumen ruunt, deſideratamque multis diebus aquam, tam cupidè hauriunt, ut multi ea C repleti, ſtupidi rigentibus membris ſtatim exanimes conciderint. *Sab. l. 10. Dec. 3.*

ÆSTUM, FRIGORA, LABOREM.

ARTEMONEM quendam ajunt fuiſſe mollem adeò, & ſolutum deliciis, ut nunquam pedibus itaret. *Ælianus.*

Romani ſub Tarquinio rege ad Cloacarum opus coacti, tædio laboris plurimi ſibiipſis manus intulere. *Plin.*

DOMITIANUS Imp. laboris impatiens, per urbem pedibus non temerè ambulavit: in expeditione, & agmine equo rarius, lectica aſſiduè vectus eſt. *Suet.*

JUL. LUPPUS, cùm unà cum Caſſio Chærea, Caii Cæſaris interfectore, ad ſupplicium duceretur, veſte detracta conqueſtus eſt de frigore. Huic Chærea puſillanimitatem exprobrans, lupum tamen nunquam offendi frigore, dixit. *Joſephus l. 19. c. 3.*

Ut ſunt ad conſerendas manus, præliaque committenda Galli omnium prodè hominum paratiſſimi, atque fortiſſimi: ita ad perferendos paulò diutiùs labores, inediamque tolerandam ſupra cæteros animus eorum mollis, infirmuſque eſt omniſque illa ardens, ac vehemens brevi tempore virtus elangueD ſcit, atque reſtinguitur. *Bembus l. 2. Venetæ Hiſt.*

IMBECILLITATEM, MORBOS.

HERCULEM, cujus ingentia duodecim facta numerant, in Oeta monte à ſeipſo incenſum produnt, cùm ea virtute, qua monſtra ſubegerat, morbum tamen, quo languebat, ſuſtinere non poſſet. *Auguſt. de Civ. Dei, l. 18. c. 12. & Sab. l. 6. En. 1.*

DIOGENES Sinopenſis, jam morti proximus, dejecit ſeipſum de ponte, qui prope gymnaſium erat: mandavitque cuſtodi palæſtræ, ut cùm expiraſſet, ſe abjiceret in Iliſſum. *Ælian. l. 8. de Var. hiſt.*

BION Boryſthenites, cùm diſputando ſemper aſſeruiſſet, Deum nullum eſſe, atque omnia caſu regi: æger amuletis, & carminibus fidem habuit, diis ſupplicavit, votaque ſuſcepit: contra ea, quæ ex ſectæ diſciplina ipſe prædicaverat. *Laert.*

ÆLIUS, miles Romanus, lethali morbo correptus, ut fortiter interiret, ſibiipſi manus intulit. Sic de eo. *Philippus in tertio Epigrammatum Græcorum.* E

> Αἴλιος ὁ θρασύχειρ, ἄρεος, τρόμος, ὁ ψελιώσας
> αὐχένα χρυσοδέτοις τοῖς ἐκ πολέμου στεφάνοις,
> στεξιμελῆ νούσῳ κεκολυμένος, ἔδραμε θυμῷ
> ἐς προτέρων ἔργων ἄρσενα μαρτυρίην.
> ὦσε δ' ὑπὸ σπλάγχνοις πλατὺ φάσγανον, ἓν μόνον εἰπών,
> ἀνδρας ἄρης κτείνει, δειλοτέρους ἡ νόσος.

DION ſcribit, Adrianum Imp. miſerabili cruciatu affectum Baiis, poſtquam promiſſa pecunia, & data venia nemo ei obtemperare, Maſtorem quendam barbarum nomine, Jazygen genere (quo homine propter robur, & audaciam plerumque in venationibus uſus fuerat) & minis, & pollicitationibus coegiſſe, ut cædem ſibi inferret: ac circumſcripſiſſe locum ſub mamilla, quem Hermogenes medicus demonſtraverat, quo lethaliter percuſſo ſtatim ſine dolore expiraret. Sed ubi hoc ei non ſucceſſit (nam Maſtor attonitus fugit) multùm de ſe querebatur, quòd nullum percuſſorem reperire poſſet. *Cuſpin. ex Spartiano.*

ANTONIUS monachus, cùm ab Athanaſio Alexandriæ Epiſcopo propter confutationem hæreticorum in urbem Alexandriam eſſet accitus, & iviſſet ad eum Didymus, vir eruditiſſimus, captus oculis: inter cætera colloquia de ſcripturis ſan- F ctis, cùm ejus admiraretur ingenium, & acumen animi collaudaret, ſciſcitans ait: Num triſtis es, quòd oculis carnis careas? Cùm ille pudore reticeret: ſecundò, tertiòque interrogans, tandem elicuit, ut mœrorem animi ſimpliciter fateretur. Cui Antonius: Miror, ait, prudentem virum ejus rei dolere damno, quam formicæ, & muſcæ, & culices habent: & non lætari illius poſſeſſione, quam Sancti ſoli, & Apoſtoli meruerunt. *Hieron. ad Caſtrutium.*

SENECTUTEM.

MILO Crotoniates, jam ſenex, cùm vidiſſet athletas alios in curriculo ſeſe exercentes, fertur inſpexiſſe lacertos ſuos, lacrymanſque dixiſſe: At hi jam mortui ſunt. *Cicero l. de Senectute.*

THEOGNIS Megarenſis quàm iniquo animo ſenectutem tulerit, verſus iſti, quos Gnomis ſuis inſeruit ſatis indicant:

> οἴμοι ἐγὼν ἥβης γήραος οὐλομένοιο.
> τοῦ μὲν ἐπερχομένου τῆς δ' ἀπανισαμένης.

VULNERA, VERBERA.

G PHILOCTETES, cui Hercules moriens ſuas ſagittas, & arcum commiſerat (erat enim inſignis jaculator) cum ſeptem navibus Æolenſibus ad Trojam cum Græcis profectus, in Lemno inſula ad aram Minervæ ab hydro in pede ictus, crudeliſſimis doloribus exagitatus, à Græcis illic relictus eſt, ut à Vulcani ſacerdotibus curaretur, qui à ſerpentibus demorſos curare ſolebant. Meminit illius rei. *Homerus Iliad β.*

> ἀλλ' ὁ μὲν ἐν νήσῳ κεῖτο κρατέρ' ἄλγεα πάσχων
> λήμνῳ ἐν ἠγαθέῃ, ὅθι μιν λίπον υἷες ἀχαιῶν
> ἕλκεϊ μοχθίζοντα κακῷ ὀλοόφρονος ὕδρου.

& *Ariſt. l. 7. Ethicorum*, mollitiem illius in ferendis doloribus in tragœdiis notatam arguit, & *Sophocles in Philoctete.* Tandem ſanitati reſtitutus, legatione miſſa à Græcis revocatus eſt, quòd in fatis erat, Trojam abſque ſagittis Herculis capi non poſſe. *Euſtathius Iliad. β.*

Cùm Herculis ſagittas veneno Lernææ hydræ perlitas Chiron Centaurus tractaret, in alterum pedem ejus una illarum cecidit. In dolore vulneris diu diſcruciatus, cùm natus eſſet ex immortali patre Saturno, mori non poterat. Quare deos precatus eſt, ut ſibi mortali eſſe liceret, ut teſtatus eſt Acuſilaus, & H Cratinus, qui hujus argumenti actum compoſuit. Id verò cùm Jovis miſericordia obtinuiſſet, inter ſidera relatus fuit, ut teſtatur *Hyginus in l. de Stellis. Natalis Comes Mythol. l. 4. c. 12.*

MORTEM.

☞ *Mortem molli animo jam præſentem ferre, hujus eſt loci. Ejus declinatio, quæ ferè mollitiem in tolerando præcedit, ad vitioſam Declinationem pertinet. Conſule Tit. Vitæ cupiditas nimia, Contrariorum enim contrarii affectus, in idem ferè concidunt: ut lucis odium, tenebrarum amor.*

LYCUS, dum furentem fugit Herculem, complexus aras tremebunda manu, nimio metu exanimatus, mortem non ſenſiſſe videtur. *Pontanus l. 1. c. 15. de Heroica fortit.*

CAMBYSES Perſarum rex, cùm ſuo ipſius gladio ſaucius in Ecbatanis Syriæ ſibi moriendum eſſe videret, deflevit omnem ſuam conditionem, & ſera pœnitentia ſcelerum ſubiit, quòd fratrem Smerdem interfeciſſet, germanam ſororem ſuſtuliſſet

Apim vulneraſſet, Prexaſpis filium ſagitta interfeciſſet, multos A denique Perſarum procerum injuſtè occidiſſet. Perſæ ut regem lamentantem conſpexere, univerſi veſtimenta reſciderunt, & cum inſano homine inſaniverunt. *Herodotus lib. 3.*

C. MARIUS ſepties conſul, moriens crudelem fortunam dixiſſe fertur, quòd priuſquam conſilia, & vota ſua explere potuiſſet, vita decederet: omnium ſucceſſuum, & honorum, qui illi in vita contigerant, ut ex ipſius querela apparet, oblitus. *Sab. lib. 3. Ennead. 6.*

CN. DOMITIUS prætor, proavus Neronis, in deſperatione rerum, mortem timore appetitam ita expavit, ut ad Corfinium principio belli civilis à Juliano captus, hauſtum venenum pœnitentia evomuerit, medicumque manumiſerit, qui idem ſibi prudens ac ſciens minùs noxium temperaſſet. *Suetonius.*

TITUS VESPASIANUS Imp. inter præclaras Imperii adminiſtrandi actiones morte præventus eſt, majore hominum damno, quàm ſuo. Sabinos petens, aliquando triſtior, quòd ſacrificanti hoſtia aufugerat, quòdque tempeſtate ſerena tonuerat, ad primam ſtatim manſionem febrim nactus, cùm inde lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis cœlum, mulB tùmque conqueſtus, eripi ſibi vitam immerenti. Neque enim extare ullum ſuum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno: id quale fuerit, neque ipſe tunc prodidit, neque cuiquam facilè ſuccurrit. Quidam opinantur conſuetudinis recordatum, quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuiſſe præſanctè Domitia jurabat: haud negatura, ſi qua omnino fuiſſet: immò etiam gloriatura, quod illi promptiſſimum erat in omnibus probris. *Suet.*

JUL. LUPUS, qui Cæſoniam filiam Caii principis interfecerat, Senatus juſſu à Claudio Caii ſucceſſore ad ſupplicium raptus, lacrymabatur cùm adduceretur, ad cædem, detractaque veſte de frigore conquerebatur. Cùm parum fortiter cervicem præberet, pluribus ictibus demùm confectus eſt. *Joſeph. lib. 19. cap. 3.*

NICOMACHUS quidam, ſub Decio Imperatore, in urbe Troade, dum à proconſule Opimio torqueretur, doloris impatiens diis dixit ſe ſacrificaturum. Atque ubi dimiſſus, thura ante idolum incendit, illicò à dæmonio arreptus, graviores pœnas dedit. Quippe in rabiem verſus, propriam linguam dentibus mandens expiravit. *Marulus lib. 5. cap. 5.*

C PHILIPPUS Maria, dux Mediolanenſis, de morte ſermones invitus audivit. Tonitrua, & fulmina mirum in modum expavit. *Æneas Syl. cap. 49. Europæ.*

LUDOVICUS XI. Francorum rex, ſexageſimum ætatis annum ut fatalem ſibi ſemper horruit, quem Francorum regum vivendo jam inde ab Hugone Capeto generis ſui auctore nemo tranſcendiſſet. Ipſe id temporis ſpacium quindecim diebus exceſſit, anno Chriſti MCCCC. LXXXIII. Deceſſit in ſuburbanis Turonum hortis. *Æmil. lib. 10.*

LOTHARIUS Francorum rex morti proximus, ſæpè repetebat hæc verba: Eheu quàm magnus eſt rex ille cæleſtis, qui reges terrenos lenta morte ad ima deiicit. *Ægidius Corrozetus de Dictis, & factis mem.*

PHILIPPUS STROZZA, Petri pater, qui exulum dux erat contra Coſmum Florentinorum ducem, captus in prælio, ne indignam natalibus ſuis necem ſubire cogeretur: gladio, quem Hiſpanus carceris cuſtos temerè exiens reliquerat, gutturi appoſito, magno nixu, & corporis pondere incubuit, quem exeuntem Hiſpanum adacto ſtatim vecte oſtio excluſiſſet, relicto D in menſa chirographo, quo teſtabatur, ſe qui rectè vivere neſciviſſet, generoſo animo, vitæ, & miſeriis finem impoſuiſſe. Vir ingenio erudito, apprimèque liberali, ſummè gratioſus apud cives, ſed de ſuperis, atque inferis malè ſentiens, apertè illuſit Chriſtianæ diſciplinæ. *Sab. ſupplem. lib. 22. ex Jovio.*

JOAN BRAVUS à Salamantica, Hiſpanus, rebellis contra Carolum V. Imperatorem, cùm per ignominiam aſino impoſitus eſſet cum ſocio Jo. Padillia à Toleto, & circumduceretur per caſtra ſub voce præconis, proditorem ſe eſſe pernegavit, & ob id à lictore immaniter violatus fuit. *Jov. in Hadriano VI.*

TORMENTA NON FERRE.

Tiro veteranus miles, cùm filio totus ab Herode Judæorum rege, ut inſidias ſibi ab Alexandro filio, Tironis ſummo amico, factas proderet, conſtantiſſimè id factum negavit. Filius tandem tormentis ſuccumbens, & patris miſeratione ductus, præſertim cùm nihil ſalutis etiam non convictis de crimine ſupereſſe videret, veritatem ſe dicturum aſſeveravit, ſi tormenta remitterentur. Data fide, conjuraſſe ſe cum patre, & tonſore indice affirmavit (*Vide ſub Tit. Tonſorum, Tryphonis exemplum*) & mox productus, cum patre lapidibus obrutus eſt. Nec mul- E tò poſt Alexander hoc falſo indicio per tormenta extorto ſtrangulatus eſt. *Joſephus lib. 16. cap. 17.*

M. AGERII argentarii ſervus, Alexandrum Titi Fannii ſervum occidiſſe inſimulatus eſt: eoque nomine tortus à domino, admiſiſſe id facinus conſtantiſſimè aſſeveravit. Itaque Fannio deditus, ſupplicio affectus eſt. Parvo deinde tempore interjecto, ille, cujus de nece creditum erat, domum rediit. *Val. Max. lib. 8. cap. 4.*

PHARION Ægyptius, tormentorum metu ea latrocinia faſſus, quæ nunquam patrarat, Alexandriæ ducebatur ad locum ſupplicii. Ibi in Apollonium Tyaneum incidit. Cùm is magica arte innocentem ejus criminis deprehendiſſet, dedita opera eum remoratus eſt. Cùm autem cæteri jam à miniſtris capite mulctati eſſent, Pharion revocatus eſt: cùm noxii quidam in diſquiſitione, quæ de eis habebatur, ipſa illa hora, innocentem Pharionem ejus criminis eſſe dixiſſent. *Fulg. lib. 8. c. 4.*

PHILIPPUS MARIA, dux Mediolanenſis, Beatricem uxorem, adulterii ſuſpectam, cùm ictu quaterno, vicenoque crudeliter excuſſam detorſiſſet, ſupplicio affecit. Illa tormentorum impatiens, cùm fidibus arctiſſimis diſtringere- F tur, ſeſe ream dicebat: mox coram ſacerdote, innocentem ſeſe profitebatur. Convicta tamen more judiciorum, capitalique ſententia damnata, gladio percuſſa eſt. *Arlunus hiſt. Mediol. Sect. 1.*

PUSILLANIMITAS IN FERENDIS MALIS FORTUITIS.

Sive ea ſpectent

DIVITIAS, NON FERRE

IN GENERE, PAUPERTATEM.

Menippus Phœnix, ſecta Cynicus, cùm habendi cupidiſſimus eſſet, amiſſis bonis, laqueo vitam finivit. *Laertius.*

IN SPECIE.

Furta.

Euclionis puſillanimitatem in aulæ ſuæ jactura, *Plautus in Aulularia* deſcribens inquit:

> *Heu me miſerum, miſerum, perii malè perditus, peſſimè ornatus eo.*
> *Tantum gemiti, & malè moleſtiæ hic dies mihi obtulit, famem, & pauperiem.* G
> *Perditiſſimus ego ſum omnium in terra.*
> *Nam quid mihi opus vita eſt, qui tantùm auri*
> *Perdidi, quod cuſtodivi ſedulò: egomet me fraudavi,*
> *Animumque meum, geniumque meum, nunc eo alii*
> *Lætificantur meo malo, & damno: pati nequeo.*

Direptionem.

ZENO philoſophus ſæpè dixerat, divitias eſſe indifferentes. Antigonus rex falsò nunciari fecit, prædia illius ab hoſtibus eſſe direpta. Cùm triſtior effectus eſſet: Vides, inquit, divitias non eſſe indifferentes? *Bruſonius lib. 2. c. 26.*

Tributorum exactionem.

Secundo bello Punico victi à Rom. Carthaginenſes, annuum ſtipendium populo Romano uſque ad certum tempus ſolvere tenebantur. Cùm veniſſet dies, in quo prima penſio conferenda Romanis erat, & ingemiſcerent omnes ad vocem tributi, ferunt, Annibalem, commotum inutili lamentatione Pœnorum, riſum effudiſſe, & increpitum ab Aſdrubale Heduo, quod in communi totius civitatis mœſtitia tam effusè lætaretur, reſpondiſſe, Non lætantis hominis illum eſſe riſum, H ſed eorum inanes lacrymas deridentis, quæ eo tempore in leviore malo, quòd cujuſque privati civis pecuniam tangeret, potiùs manarent, quàm anteà cùm Romani ad Zamam victores, claſſem, arma, & ampliſſimarum victoriarum ſpolia Carthaginenſibus detrahebant, victiſque imponebant leges. *Auctor vitæ Annibalis.*

Incendia.

ANT. URCEUS Codrus, Grammaticus celebris, Forolivii cubiculum habebat in penitiore palatii parte, variis quidem ornatum picturis, ſed adeò in prima diei parte obſcurum, ut niſi lucernæ beneficio ne parietes quidem ipſos diſcernere poſſet. Utebatur itaq; lucerna fictili, raræ pulchritudinis: in cujus ſummitate cælatum erat, Studia lucernam olentia optimè olere. Hanc cùm domi inextinctam reliquiſſet, incendii cauſam fuiſſe creditum eſt. Nam matutino tempore cùm negotii cauſa ſe in forum contuliſſet, ignis chartarum fomento coalitus, per omnes cubiculi angulos divagatus eſt. Periit liber ab eo com-

poſitus, qui inſcribebatur Paſtor: periere & reliqua ejus bona. A Fama eſt, ad primum incendii nuncium tantam animo imbibiſſe iram, ut exclamans, veluti furore quodam concitus, ad regiam uſque præcipiti gradu ire pergeret, pro foribuſque cubiculi aſtans (neque enim ob incendium ingredi licebat.) Quod nam egò, inquit, tantùm ſcelus concepi, Chriſte: quem ego tuorum unquam læſi, ut ita inexpiabili in me odio debaccheris? Converſus poſtmodum ad ſimulacrum Virginis: Audi, Virgo, ait, ea, quæ tibi mentis compos, & ex animo dicam. Si fortè cùm ad ultimum vitæ finem pervenero, ſupplex accedam ad te opem oratum, ne me audias, neve inter tuos accipias oro, cùm infernis diis in æternum agere decrevi. Qui aderant, verbis quidem quod poterant ipſius iram lenire conabantur, ſed clauſæ erant aures, obſtrepente ira: quæ adeò oppreſſit hominem, ut objurgatis prius, amicis omnibus, ſi ſe ſequerentur, extra portam egrederentur, nec antè impoſuerit frenos amenti gradui, quàm in vaſtum ſeſe proripuerit nemus, ingentique cum moleſtia ibi diem totum egerit. Noctu urbem petens, cùm portas offendiſſet clauſas, in fimi acervo proſtratus lucem expectavit. Manè verò urbem ingreſſus, in fabri cujuſdam ligna- B ri domo abſtruſit ſeſe, ibique jugiter per ſex menſes, ſolus, ac ſine libris, vitam protraxit. *Barthol, Bonon, in ejus vita,*

Amiſſionem animalium,

Geraſeni porcorum damnum pluris facientes, quàm beneficium, quo duo homines, & quidem cives ipſorum, à dæmonum legione liberati fuerant, rogarunt Jeſum, ut inde à ſuis finibus diſcederet. *Marul, lib. 5. cap. 3.*

HONORES. NON FERRE DEDECUS ILLATUM.

☞ *Conſule Tit. Reprehenſiones ægrè ferre, Illic Veritatis odium, hìc Mollities in tolerando ſpectatur. Vindicta calumniarum auctoris reſpectu ad locum Clementiæ pertinet.*

VERBIS, NON FERRE.

Reprehenſiones veras.

Quòd aſperius coram multis Pythagoras Familiarem accepiſſet, dicitur adoleſcens laqueo ſibi gulam fregiſſe. Inde Pythagoram referunt, neminem unquam præſente caſtigaſſe alio. *Plut, de Diſcern. adulatorib.*

C CN. POMPEJUS in campis Pharſalicis Cæſarem aſſecutus, bellum ducere, & hoſtem inopia commeatus opprimere ſtatuerat. Verùm dum ita Cæſarem ſenſim ſubſequitur, impetiverunt eum obtrectationibus: non Cæſarem ipſius artibus, ſed patriam & ſenatum circumveniri, quò ſemper cum Imperio ſit, neque unquam deſiſtat illis, qui deberent orbem terræ regere, pro aſſeclis, & ſatellitibus uti. Domitius Ænobarbus eum perpetuò Agamemnonem appellans, & regem regum, invidiam ei conflabat. Nec minus erant Favonii importuna cavilla, quàm aliorum liberè emiſſæ intempeſtivæ voces. Quirites, clamabat ille, toto hoc anno non veſcemini ficubus Tuſculanis. L. Afranius, qui exercitus Hiſpanienſes amiſerat, proditionis nota aſperſus, cùm Pompejum tunc detrectantem cerneret certamen demirari ſe dicebat accuſatores ſuos, cur non ad dimicandum cum provinciarum mercatore procederent. His, & hujuſcemodi multis dictis virum impotentem gloriæ, & ruboris erga amicos impulerunt Pompejum, ut relictis conſiliis optimis ſuis, ipſorum obſecundaret ſpei, & motibus. At prælio com- D miſſo ingenti pugna victus Pompejus vix effugit. *Plut. in Pompejo.*

TIBERII Cæſaris anxiam mentem varia undique convicia urebant, nullo non damnatorum omne probri genus coram vel per libellos in orcheſtra poſitos ingerente. Quibus quidem diverſiſſimè afficiebatur: modò ut præ pudore ignota, & celata cuncta cuperet: nonnunquam eadem contemneret, & proferret ultrò, atque vulgaret. *Suet.*

DIOCLETIANUS, qui Imperio ſe abdicaverat, & Salonæ privatus vivebat, cùm à Conſtantino Magno, & Licinio Impp. ad nuptias Conſtantiæ ſororis Conſtantini, Licinio elocatæ, invitatus non veniſſet, uterque ægrè tulit, cumque, qui Maxentio tyranno nuper faviſſet, tum verò Maximino bellanti ſtuderet, inſimulavit. Cujus criminationis dolorem uſque adeò impatienter tulit, ut veneno epoto ſibi mortem conſciverit, cùm eſſet annos tres, ac ſeptuaginta natus: imperaſſet autem annos viginti: ac novem poſteà, ut inquit Victor, egiſſet privatus. Singularia hæc ei duo contigere, quòd ultro ſe Imperio abdicarit, atque in propoſito uſque ad finem vitæ permanſerit: & quòd privatus inter Divos relatus ſit: quem honorem ab Auguſtis admiratione virtutis accepit. *Sigonius lib. 3. Imp. occid.*

E *Maledicta, Convitia, Calumnias, Obtrectationes.*

LYCAMBES Parius cùm ab Archilocho jambographo propter denegatas filiæ nuptias virulentiſſimis jambis eſſet laceratus, ſuſpendio cum filiabus ſeſe necavit.

Cornelius lacrymas in ſenatu tenere nequivit, cùm à Domitio Corbulone Strutiocamelus depilatus vocaretur. *Pont, lib, 2. c. 10, de fortit, domeſtica.*

Cùm prædas egiſſent Vandali ex Stormaria, Godefridus ditionis Holſatorum comes, audita hoſtium incurſione, celerrimè inſequutus hoſtes, obvium quendam interrogavit de hoſtibus. Ille rebus omnibus exutus ait, Si tibi ut mihi hæreret injuria, acriùs inſectareris: non lentus incedis, expectabat enim majorem ſuorum manum, cùm plures viginti equitibus non haberet. Ruſtico convitio vir militaris motus, non expectans ſuos, hoſtes conſectatus, & in inſidias, incidens, cęſus eſt. Hic fuit exitus comitis de Stomaria, & Holſatia. Luderus dux Saxoniæ comitatum illum dedit nobili Adolpho comiti de Scovenborg. *Crantz. lib. 5. c. 25. Sax.*

F Suecones injuriarum verbis illatarum impatientiſſimi, verba verberibus compenſare ſolent, *Jo. Magnus l. 21. hiſt. Goth.*

HADRIANUS VI. Pont. Max. graviſſimè ferens, ſe famoſis carminibus apud Paſquilli ſtatuam lacerari, decreverat, Paſquilli ſtatuam, quæ erat in Parione, demoliri, atque eam in Tiberim præcipitare: niſi à Ludovico à Corduba, principe Sueſſano, Caroli V. apud Pontificem legato, urbanis verbis placatus fuiſſet. *Jovius in Hadriano VI.*

Infamiam nominis.

PANTHITES Lacedæmonius, cùm in trecentorum numero eſſet, qui cum Leonida adversùs Thermopylarum ſaltium inſederant, à Leonida in Theſſaliam cum literis miſſus, cum aliis qui in Thermopylis pro patria pugnando occubuerunt, eſſe non potuit. Cùm poſteà eum cæteri cives deſpectui haberent, arbitrati non in Theſſaliam à Leonida miſſum, ſed præ ignavia ex prælio fugiſſe, quanquam & verè, & honeſtè excuſari poſſet: tamen præ pudore, cùm dedecus ſuſtinere non poſſet, ultrò ſeipſum ſuſpendit. *Fulg. l. 4. c. 5.*

G TARRIAS, cum æs alienum ſuſciperet Alexander Macedonum rex, diſſolveretque pro omnibus, obæratum mentitus ſe, producto apud menſam, qui ſe aſſereret ejus creditorem, mox deprehenſus, tantùm non manus ſibi ipſe attulit: niſi re cognita Alexander exemiſſet eum noxæ, & argentum ei condonaſſet: recordatus, oppugnante Perinthum Philippo, ſagitta in oculo ictum, non antè eximi telum præbuiſſe, vel ſuſtinuiſſe, quàm hoſtes profligaſſet. *Plut. de orat. 2. de Alex. fort.*

HERODES Atticus, orator inſignis, cùm adoleſcens quondam in Pæonia coram M. Antonino Imp. perorans præ timore obmutuiſſet, ignominiæ tædio affectus, ad Iſtrum ſeceſſit, quaſi jamjam moriturus, cùm vitam eloquentiæ poſthaberet, *Philoſtrat. in ejus vita.*

HELGO Danorum rex, in inſula piratarum Thoro virgini Thoræ ſtuprum intulerat, & ex ea Urſam filiam ſuſceperat. Thora nobilem jam filiam patri ad amiſſæ virginitatis vindictam imprudenti meretricio habitu ſubſtravit. Ex eo inceſtu H natus eſt Rolvo filius, qui natalium pudorem virtutis præſtantia delevit. Helgo pudore exprobratæ turpitudinis in exilium abiit, & deſperabundus, diſtricto gladio incubuit. *Saxo l. 2. & Crantz. l. 1. Daniæ, cap. 15.*

Anno 1552. Adalna Hiſpanus, Ferdinandi regis polemarchus, ſuperato Tibiſco, ad Segedini obſidionem proficiſcebatur, Navium cuſtodię præferebat centurionem Hiſpanum notæ fortitudinis Higueram. Is verbis de clade à Baſſa Budenſe ob ignaviam Aldanæ Chriſtianis inflicta rumorem à fugientibus licèt incertum audivit, ſolutis navibus Tibiſcum trajecit. Mox recordatione tanti dedecoris exagitatus, cùm ne gladio incumberet, ab armigero prohiberetur, & tamen omnino mori ſtatuiſſet: jubet armigerum, qui arma illi eripuerat, ſub arbore quieſcere, donec naturæ neceſſitati ſatisfaceret. Paret ille, dominumque expectans, obdormit. Suſpenſo igitur gradu centurio acceſſit, & ſclopeto clam ſubducto, ſemetipſum exanimavit. *Aſcanius Centorius lib. 4. Com. belli Tranſylvaniæ.*

FACTIS

FACTIS, VIDELICET.

A *Accuſationem falſam.*

DIOXIPPUS Athenienſis Horatam, ſive Coragum Macedonem, ſe provocantem ſuperaverat, ſpectante toto exercitu. Iniquè ferre Macedones popularis ſui caſum: Rex quoque ſemper poſteà ab eo fuit alienatus, omneſque regis amici, & aulici Macedones virtuti ejus mirificè invidentes, id tandem excogitarunt, ut miniſter quidam poculum aureum Dioxippi pulvino ſubiiceret. Convivio inito, conqueri cœperunt de furto patrato: veſtiganteſque poculum ablatum, ſe inveniſſe ſimularunt, cum magno pudore, & probro Dioxippi. Qui Macedonum concurſum ad ſe videns, exiit è convivio: & epiſtola ad Alexandrum de fraude in ſe commiſſa ſcripta, manus ſibiipſi intulit, imprudens, qui temerè in certamen cum Macedone deſcenderit, imprudentior, quòd ſibi vim intulit. Propterea obtrectatores ejus ad hominis dementiam coarguendam illud paſſim jactabant: Haud facilè evenire, ut quiſpiam ingentes corporis vires, & ingenium ſubtile habeat. Rex graviter illius obitum tulit: & quem viventem abhorruerat, mortuum, quando id fruſtra erat, penes ſe habere cupiens, quanta fuiſſet ejus innocentia, ex calumniantium ſcelere cognovit. *Diod. lib. 17. & Sab. l. 6. En. 4. & Ælian. lib. 10.*

B *Irriſionem.*

DIONYSIUS Syracuſanorum tyrannus, cùm ex poeſi ſummam captaret laudem, & poemata ſua in Olympicis certaminibus decantata ludibrio haberi accepiſſet, in ſummam incidit triſtitiam, mentiſque alienationem. *Diod. Sic. l. 15.*

Titulorum denegationem.

CONSTANTINUS Romanus Comes, qui Conſtantinum Galliæ, Maximum Hiſpaniæ tyrannos vicerat, Attalum ceperat, Valliam Gothorum regem ad pacem coegerat, cujus denique virtute Honorius Imp. & dignitatem retinuerat, & Galliam liberaverat, duplici ab Imper. honore affectus fuit. Nam & Conſulem iterùm deſignavit, & ſororis Placidiæ (poſt Ataulfi regis cædem) matrimonio decoravit: mox etiam, ſive quòd filiis careret, quibus moriens Imperii relinquere curam poſſet: ſive quòd præſentia reip. tempora duorum Auguſtorum præſidio egere cenſeret: ſolenni pompa adhibita Auguſtum appellatum, ſocium ſibi adeſſe Imperii, & curarum omnium juſſit. Inde Valentiniano puero ejus Nobiliſſimi dignitatem impertivit, & ut moris erat, C imaginem Conſtantii Auguſti Conſtantinopolim ad collegam Theodoſium miſit. Theodoſius neque id factum probavit, neque imaginem ejus accipere voluit. Conſtantius adeò dolorem non tulit, ut ſexto poſt acceptum Imperium menſe mœroris atrocitate confectus obierit. *Sigon. lib. 11. Imp. occid.*

Scriptorum abolitionem.

T. LABIENI, quia paſſim omnes lacerabat, libri omnes ex S.C. combuſti fuerunt. Quæ res inuſitata fuit, & prorſus mira, ſupplicium de ſtudiis ſumi. Eam contumeliam Labienus non tulit, nec ſuperſtes (ut inquit Seneca) ingenio ſuo eſſe voluit, ſed in monumenta majorum ſuorum ſe ferri juſſit, atque ibi includi. *Cælius l. 11. c. 13. A. L.*

Veſtis ignominiam.

VITELLIUS Romanorum Imper. ludos Romæ gladiatorios fecit: in quibus cùm urgeret Sporum, ut puellæ ornatui incederet, neque Sporus talem contumeliam ferre poſſet: ſibi ipſi manus inferre, quàm in eo veſtitu turpiter ſe dare, maluit. *Xiphilinus.*

Munera pudenda.

D Sub BOLESLAO III. Polonorum rege, Palatinus quidam Polonus, qui bello extremo contra Ruſſos ad Haliciam, ſua fuga exercitui reliquo fugæ cauſa extiterat, cum domum rediiſſet, rex ei leporis pellem, colum, & fuſum dono miſit. Qua ille ignominia ad voluntarium ſuſpendium adactus eſt. *Cromerus lib. 6.*

Officium vile.

ROBERTUS Scotus nobilis, cùm factioni Davidis Bruſii regis favere videretur, in arce Edinburgenſi ab Anglis, qui Eduardum Baliolum regem fecerant, lapides humeris quotidie ingentes portare cogebatur. Id cùm ferre diutius recuſaret, præfectus capiti ejus baculum adeo ſævè impegit, ut non ſine plurima ſanguinis effuſione diſcederet. Ea injuria irritatus magis, poſtridie in forum ſe proripuit, & præfectum, à quo pridie colaphum acceperat, obtruncavit, celeriterque oppidum pervadens, conſcenſo equo evaſit. *H. Boeth. lib. 15.*

Vulnera, Verbera ignominioſa.

E PORPHYRIUS philoſophus à Chriſtianis quibuſdam Cæſareæ Palæſtinæ pulſatus, injuriam non ferens, Chriſtianiſmum abjuravit. *Nicep. l. 10. c. 36*

MAGISTRATUM, DIGNITATEM.

Non ferre

REPULSAM.

MARCIUS Sabinas, poſt Numæ Pompilii mortem (nam cùm eo Romam habitatum venerat) cùm præferri ſibi Hoſtilium in regno videret, ſibiipſi mortem conſcivit. *Fulg. l. 9. c. 3.*

P. VAL. qui poſteà Poplicola dictus eſt, pulſis regibus L. Bruti primùm, deinde ſua opera ſperabat ſe Bruto in conſulatu collegam futurum. At ſpes eum fefellit. Namque collega Bruto datus invito eſt, Lucretiæ vir Tarquinius Collatinus: non ille quidem virtute Valerio præcellentior, ſed quòd ob acceptam injuriam implacabilis regum hoſtis videretur futurus. Id indignè ferens Valerius, abſtinuit curia, foro temperavit, & reipub. ſemel depoſuit procurationem. Quare ſermonem, & metum præbuit vulgo, ne offenſione animi cum regibus conſpiraret, remque publicam, & civitatem adhuc nutantem everteret. *Plut. in Valerio.*

F C. FIGULUS, Jureconſ. celeberrimus, conſulatus repulſæ dolore accenſus, eò quidem magis, quòd illum bis patri ſuo datum meminerat, cùm ad eum poſtero comitiorum die multi conſulendi cauſa veniſſent, omnes dimiſit, præfatus: Omnes conſulere ſcitis, conſulem facere neſcitis. *Val. Max. l. 9. c. 3.*

C. MARTIUS CORIOLANUS, in conſulatus petitione cùm populo multas oſtenderet cicatrices in multis acceptas præliis, in quibus annos ſeptemdecim perpetuos ſtipendia faciens tulerat palmam: verecundia ejus virtutis, conſtituerunt inter ſe eum creare conſulem, quamtumvis ei ob nobilitatem infenſi eſſent. Poſtquam verò illuceſcente die comitiorum, Martius in campum, magno cum faſtu deducente ipſum progreſſus eſt ſenatu: plebis invidia, & metu, ne populum libertate exueret omni, tulit Martius repulſam. Hinc ira ſtimulante, Senatui ſuadebat, ut inſolentiam populi fame edomaret, & Tribunitiam poteſtatem illis eriperet. Qua oratione moti Tribuni, ad ſeditionem populum concitarunt: nec priùs quievere, quàm ſuffragiis in perpetuum exilium pulſus eſt Martius. *Plut. in Coriolano.*

DEJECTIONEM. G

Cùm DEMARATUS rex Spartanorum, inimicorum opera dignitate exutus, adeſſet ſpectaculo gymnopædiarum, miſit ad eum Leutychides in ejus locum rex factus deridendi cauſa miniſtrum, qui interrogaret Qualis eſſet præfectura poſt regnum? Eam interrogationem ægrè ferens Demaratus, reſpondit. Se utrumque expertum, illum verò non: & eam interrogationem Lacedæmoniis futuram initium plurimæ aut calamitatis, aut felicitatis. Hæc locutus, velato capite è theatro domum abiit, confeſtimque præparatum Jovi bovem immolavit, inde Zacynthum trajecit, & ad regem Perſarum exulatum abiit. *Herod. lib. 6.*

DEMETRIUS POLIORCETES, univerſa Macedonia, in qua annos ſeptem nemine turbante regnaverat, à Pyrrho nudatus, cùm Caſſandriam refugiſſet: uxor ejus Phila, dolore victa non ſuſtinuit iterùm privatum, & exulem videre regem ærumnoſiſſimum Demetrium: ſed abjecta omni ſpe, fortunam ejus execrata, quæ in adverſitatibus eſſet quàm ſecundis rebus ſtabilior, hauſto veneno, extincta eſt. *Plut. in Demetrio.*

H CAROLUS CRASSUS Imp. & Gallorum rex, anno 888. cùm apud Tributias in feſtum diem S. Martini conventum Tranſalpinis proceribus haberet atque ad eos de rep. referret: Germani eum accuſarunt, quod ſive ætatis (erat enim adoleſcens) ſive naturæ vitio, tantis tractandis rebus parum conſilii, ac nervorum haberet: & communi conſilio regnum ei abrogarunt, & Arnulfum Carolomanni fratris filium ſuffecerunt, qui extemplò regnum accepit. Qua ex re Craſſus tantùm animi mœrorem concepit, ut mox pridie Idus Januarii migrarit è vita. *Sigon. l. 5. regni Ital.*

HENRICUS IV. à filio Henrico V. Leodii obſeſſus, & Imperio dejectus, turbatione, & animi anguſtia obiit. *Volater. lib. 23. Anthrop.*

ALFONSUS ALBUQUERCIUS, Indiæ Luſitanorum regi Emmanueli ſubjectæ prætor, Malaca urbe occupata, mercatores, qui arma Luſitanis nō intulerant, ut urbem incolerent, favoribus allexit, omnibuſque libertatem & leges ſuas reſtituit. Saraceni

Hhh 2 Uteti-

Utetimutarajam, reliquis gentibus, quæ ſimulacra colebant, A Ninachetuenſem præpoſuit (dignitas ea Bendara dicebatur) ut tamen ab illis ad Luſitanos magiſtratus provocatio eſſet, inſtituit. Poſt aliquot menſes, incerta de cauſa, Albuquercius Ninachetuenſe dignitate dejecto, Abedallam regem Camparenſem, Bendaram creavit. Regnum illius erat anguſtum, & ad Auſtrum pertinebat. In munere verò Bendaræ tanta dignitas ineſſe videbatur, ut Comparenſis Rex, qui ſuum regnum ejus muneris obtinendi gratia relinquebat, ſe non mediocri dignitatis acceſſione cumulatum putaret. Ninachetuenſis eam contumeliam minimè ferens, tabulatum editum & oblongum, columnis fultum, extruxit, illudque tapetibus, & periſtromatis inſtravit, multiſque floribus, & odoramentis aſperſit. Se verò veſtibus auro fulgentibus, & gemmis clariſſimis ornatum, & cultum hominum in conſpectum dedit, & per gradus in tabulatum aſcendit. Erat in loco inferiore pyra ex odoratis lignis inſtructa, & incenſa. Cùm Ninachetuenſis hac tam inſolita ſpecie ora multitudinis univerſæ in ſe convertiſſet, ignorantis, quorſum illa omnia tenderent, orationem ſanè lugubrem habuit. Commemoravit enim merita, quibus Luſitanam gentem, antè, quàm Malacam caperet, obligarat: quæ poſt urbem captam Re- B gis Emmanuelis gratia geſſerat: quanta conſtantia in fide data permanſerat: quanta virtute, ne fidem falleret, maximum multis in locis vitæ diſcrimen adierat. Pro tantis meritis ſpoliari ſe jam ſenem à Luſitanis ea dignitate, qua fuerat à Luſitanis ipſis affectus, & debitis honoribus privari, dignumque judicari, qui extremam vitæ partem in dedecore, & ignominia, cum omnium mortalium deriſione conſumeret. Idcircò nunc libenter, ne in ſe tantùm dedecus admitteret, mortem cum vitam commutaturum. Hæc cùm diceret, ſe in pyram præcipitem dedit anno Sal. 1514. *Oroſius lib.9.rerum Emm.*

Imminutionem Dignitatis.

Adelbertus Hamburgenſis, & Bremenſis Archiepiſcopus, conſpiratione principum imperii ab aula Henrici IV. Imper. ejectus, nunquam balneis uſus eſt, nunquam hilaris viſus: raro proceſſit in publicum, vel ad convivium, niſi ad curiam iret aut diei feſti neceſſitas poſceret. Multoties etiam amariſſimè flevit, ſi quando vaſtationis Eccleſiæ recordatus eſt, ſive cùm ipſos vaſtatores Saxoniæ duces conſpexit. In die Natalis Domini, cùm dux Magnus præſens adeſſet, frequenti con- C vivio hilares convivæ finitis epulis, plauſum cum voce levaverunt: quod non parùm diſplicuit Archiepiſcopo. Itaque innuens fratribus, qui ſimul aderant, præcepit cantori; ut inciperet antiphonam, Hymnum cantate nobis. At verò laicis denuò perſtrepentibus, inchoari fecit. Suſtinuimus pacem, & non venit. Tertiò verò, cùm adhuc in poculis ulularent, iratus valde, levari præcepit menſam, magna voce pronuncians, Converte, Domine, captivitatem noſtram: reſpondentibus fratribus, Sicut torrens in auſtro. Ita fugiens in oratorium, ſequentibus excluſis, flevit amarè. *Crantzius l.5.Metrop. c.9.*

VICTORIAM. NON FERRE ALIORUM VICTORIAM, SUAM, SUORUMVE CLADEM.

☞ *Hìc ſolius Immoderationis, & Diffidentiæ in eo dolore ferendo, qui ex victoria aliorum provenit, rationem habemus. Huc etiam pertinet Tit. Cladem non ferre, quatenus Clades noſtrorum, victoriam hoſtium habet junctam.*

Extra Bellum.

D Homerus omnis philoſophiæ pater, & poetarum princeps cùm ænigma à piſcatorum pueris propoſitum ſolvere nequiret, præ dolore in graviſſimum morbum incidit. Erat autem ænigma tale: Quæcunque cepimus, relinquimus: quę verò non cepimus, nobiſcum portamus. Paulò poſt ex hac ægritudine extremum diem clauſit. *Herodotus in ejus vita.*

Calchas indignè ferens, ſe in arte divinandi à Mopſo Tireſiæ nepote ſuperatum, præ mœrore expiravit. *Strabo l. 14. & Euſtathius Iliad. α.*

Anaxandrides Rhodius Comicus, victus in certamine, fabulas licèt optimas condidit, & piperis thuriſque venditoribus dedit, tam moroſus erat propter ſenium. *Athen.l.9 c.4.*

Diodorus, Cronus cognomine, cùm apud Ptolemæum Soterem à Stilpone ſophiſmata propoſita ſolvere nequiviſſet, à Rege increpitus, & Cronus per contemptum vocatus, è convivio diſceſſit: egreſſuſque librum de ea propoſitione ſcripſit, & vitam mœrore finivit. *Laert.lib.2.*

In Acie.

Saul rex, cùm à manibus Samuelis prophetæ audiviſſet, E exitium ſibi, ſuiſque filiis in prælio poſtridie committendo contra Palæſtinos imminere, magno animo nihilominus prælium iniit, rege dignum exiſtimans, in, pro, cumque ſuis ſubditis mortem potiùs oppetere, quàm turpi fuga vitæ ſuæ conſulere, & ſubditos deſerere. Prælio igitur commiſſo in monte Gelboe cæſi ſunt tres illius filii, Jonathan, Abinadab, & Malchiſva Rex ſagittis graviter vulneratus, ne in hoſtium poteſtatem veniret, armigero imperat, ut ſe ſtricto enſe tranſadigat. Eo recuſante, ipſemet gladio ſuo incubuit. Verùm cùm ſatis cauſæ ad necem non eſſet. Amalechitam quendam juvenem, ut ſe interficeret rogavit. Qui cùm paruiſſet, coronam, & armillam Saul detraxit, & Davidi attulit. Armiger, rege mortuo, incubuit & ipſe gladio ſuo. 1. *Reg.28. & 31.*

Heli ſummus ſacerdos, atque judex Iſraelitarum, cùm arcam Domini in caſtra ab Iſraelitis auxilii loco deductam à Palæſtinis captam audiſſet, præ dolore præceps de ſolio in dorſum delapſus, cervicem fregit. Nurus illius, uxor Phinees, in partu periit. 1. *Reg.cap.4.*

Spartani cum Argivis de Tyrio campo bellum gerebant. Trecenti utrimque pugnarunt. Argivorum duo ſuperfuere, F Spartanorum unicus Orthryades, qui mortuum ſe ſimulans, noctu trophæum erexit. Argivi quòd ſuorum plures pugnæ ſuperfuiſſent, victoriam ad ſe trahere. Spartani penes ſuum bellatorem id decus eſſe argumentabantur, quòd Argivis fugatis ſolus locum obtinuiſſet, ſpoliaque ex hoſtibus ut victor legiſſet, & quòd victorum proprium ſit trophæum ſuo nomine ſtatuiſſet. Ex altercatione pugna orta eſt, qua Argivi victi, Tyriæ poſſeſſione ceſſerunt. Attulit ea clades tantam victis indignationem, ut legem ſanxerint, ut tonſis capitibus viri non priùs capillum alerent, nec mulieres aurum geſtarent, quàm Tyriam recuperaſſent. Lacedæmonii & ipſi contra fecerunt, ut jam inde comati agerent, cùm ad id tempus tonſi fuiſſent. *Sab.lib.3.Enn.2.*

Fuſis ad Alliam Romanis, ſi ex acie veſtigiis inſtitiſſent illicò Galli fugientium, hauddubiè Roma funditus everſa, & qui ibi remanſerant, deleti eſſent omnes. Tanto pavore Romani, qui ex fuga ſe receperant, repleverant civitatem: tanta etiam inceſſerat eam perturbatio, & ſtupor. Tunc cùm victoriam non putarent Barbari tantam, ex ingenti lætitia ad epulas, ſimulque ad prædæ in caſtris captæ partitionem con- G verſi, ſpacium profugiendi ex urbe effuſæ turbæ, & remanentibus ſeſe colligendi præbuerunt, & ad defenſionem parandi, nam reliqua deſerta urbe, Capitolium telis, & munitionibus firmaverunt. *Plut. in Camillo.*

Propter Cannenſem cladem, Senatus Octacilio, qui Siciliam, & Cornelio Mammulæ, qui Sardiniam proprætores obtinebant (querentibus quòd neque ſtipendium, neque frumentum claſſibus eorum, & exercitibus ſocii præberent, affirmantibus etiam, ne habere quidem eos unde id præſtare poſſent) reſcripſit, ærarium longinquis expenſis non ſufficere, proinde quo pacto tantæ inopiæ ſuccurrendum eſſet, ipſi viderent. His literis quid aliud quàm imperii ſui gubernacula è manibus Senatus abjecit? Siciliamque, & Sardiniam, benigniſſimas urbis nutrices, gradus, & ſtabilimenta bellorum, tam multo ſudore & ſanguine in poteſtatem redactas, paucis verbis, ita ſcilicet neceſſitate jubente, dimiſit? *Val.lib.7. cap.6.*

Nunquam, Roma incolumi, tantus terror, & metus civitatem invaſit, nunquam major luctus, aut mæror incidit, quàm Cannenſi clade Romam nunciata. Senatu ad primum cladis nuncium in curiam vocato, præ nimio ſtre- H pitu, & clamore ne conſuli quidem potuit. Data opera, ut per patres, id inter ſe munus partitos, mulieres, quæ omnia planctu, & ejulatu complebant, ex publico arcerentur: ſingulæ intra ſua limina ſuum nuncium expectarent: compreſſoque tumultu, & trepidatione ſilentium fieret tota urbe: cuſtodes ad portas ponerentur, qui prohiberent quenquam egredi. Jam cùm literæ à Varrone conſule allatæ ſignificarunt Æmilium conſulem, & exercitum Cannenſi acie cæſum, evaſiſſe ſe reliquias tantæ cladis velut ex naufragio colligentem, ad x. millia, & ampliùs militum incompoſitorum circà ſe eſſe, Annibalem ſedere ad Cannas captivorum preciis, aliaque præda æſtimanda: tum privatæ clades domeſticatim vulgatæ. Qui luctus adeò totam urbem complevit, ut ſacrum Cereris ſit eo anno intermiſſum, quoniam lugentes religione prohiberentur. Et hæc quidem Livius. Valerius auctor eſt, ne in tanta quidem civitatis conſter-

nationeid ſacrum interpolatum. Satis conſtat xxx. diebus A publico decreto finitum, ne ob eam cauſam cætera ſacra publica, privatave deſererentur. *Sab.lib.2.Enn.5.*

Cùm Duce Hamilcare Hannonis F. Carthaginenſium Rege, trecenta millia Phœnicum, Pœnorum, Iberorum, Ligiorum, Eliſyeorum, Sardorum, & Cyrniorum, in Siciliam penetraſſent, & Barbari cum Græcis in Sicilia ab aurora ad crepuſculum ſine intermiſſione pugnarent, intereà Hamilcar in caſtris permanens ſacrificavit, ſolida corpora in pyram aggerens. Sed conſpectis ſuis in fugam verſis, ut erat in faciendis ſacris occupatus, ſeſe in ignem immiſit. Ei poſt Carthaginenſes ſacrificare cœperunt, extructis monumentis, cùm alibi in omnibus ſuis coloniis, tum præcipuè in ipſa Carthagine. *Herodot.lib.7.*

Porus Indorum Rex, viribus corporis, & animi magnitudine inſignis, qui bellum jampridem, audita Alexandri fama, in adventum ejus parabat: commiſſo prælio exercitum ſuum invadere Macedonas jubet, ſibi Regem eorum privatum hoſtem depoſcens. Multis ergo vulneribus obrutus capitur. Victum ſe adeò doluit, ut cùm veniam ab ho- B ſte inveniſſet, neque cibum ſumere voluerit, neque vulnera curari paſſus ſit: ægreque ſit ab eo obtentum, ut vellet vivere. Eum Alexander ob honorem virtutis incolumem in regnum remiſit. *Juſtin.lib.12.*

Cùm Fulvius Flaccus, recepta Capua, propter Campanam perfidiam, principes civitas ante tribunal ſuum capitali ſupplicio afficiendos judicaret, literiſque à ſenatu acceptis finem pœnæ eorum ſtatuere cogeretur; ultrò ſe ei T. Jubellius Taurea Campanus obtulit, & quàm potuit clara voce: Quoniam, inquit, Fulvi, cupiditate tanta hauriendi ſanguinis noſtri teneris, quid ceſſas in me cruentam ſecurim diſtringere? ut gloriari poſſis, aliquando virum fortiorem, quàm ipſe es, tuo juſſu eſſe interemptum. Eo deinde libenter id ſe eſſe facturum, niſi ſenatus voluntate impediretur, affirmante: At me, inquit, cui nihil Patres conſcripti præceperunt, aſpice oculis tuis quidem gratum, animo verò tuo majus opus edentem. Protinuſque interfecta conjuge, ac liberis, gladio incubuit. *Valer. Max. lib.3. cap.2.*

Perses, Macedoniæ Rex, regni opibus fractis, tam humili- C ter, & abjecte provolutus jacuit ad Æmilii Pauli pedes, qui eum vicerat, ut ſublatum manibus Romanorum Imp. indignanti ſimilis monuerit, ne clariſſimam ſibi victoriam turpi formidine invideret. *Sab. lib.4. cap.7.*

Civilius mœrore, & anxietate confectus, quòd parum proſperè res Albana à ſe mota videretur, diem extremum clauſit. *Idem En.2. Livius lib.1. Dec.1. C.Calvilium appellat.*

M. Brutus in fugam verſus ab hoſtibus, in campis Philippicis gladio incubuit. *Plut. in Bruto.*

C. Cassius in campis Philippicis à ſuis deſertus, equitum manum à M. Bruto ſibi auxilio miſſam, cùm exiſtimaret hoſtium eſſe copias, de ſalute ſua deſperans, Pindaro libero cervicem præbuit præcidendam. *Idem.*

Cn. Pompejus, pulſis ſuis in acie Pharſalica, ut vidit pulverem, in fugam conjecit equitatus: dementi maximè ſimilis, & attonito mente, neque Magnum ſe Pompejum eſſe cogitans, neminemque allocutus, recepit ſe ſenſim in caſtra. Ita prætorium ingreſſus tacitus ſedit, dum magna ma- D nus tergis fugientium inhærens uno agmine in caſtra irrupere. Tunc una hac voce miſſa. Etiam in caſtra? prætereà nihil locutus, ſurrexit, ſumptaque veſte præſenti fortunæ conveniente clàm caſtris exceſſit. Paulùm extra vallum progreſſus equum dimiſit. Paucis eum comitantibus, ubi nemo eſt inſecutus, abivit ſedato gradu, volens cogitationes, quales verſare veriſimile eſt virum annos quatuor, & triginta omnes vincere, & ſuperare aſſuetum, cladem autem, & fugam tum primùm in ſenectute ſentientem, atque agitantem ſecum, & quàm multis collectam certaminibus, & bellis abjeciſſet una hora gloriam, & opes: per quas paulò antè tam multis armis, equis, claſſibus ſtipatus, diſcederet nunc uſque adeò humilis, & adſtrictus, ut hoſtes lateret ipſum inveſtigantes. Præterita Lariſſa, ut venit in Tempe ſiti preſſus abjecit ſe in os, & bibit ex flumine. Inde ſurgens, Tempe peragravit, dum pervenit ad mare. Ibi quod noctis ſupererat, in tuguriolo piſcatorio quievit. Circà diluculum navem fluviatilem conſcendit: acceptiſque comitibus, qui liberæ conditionis erant, ſerviſque ad Cæſarem, abſque timore ire juſſis: cùm terram legeret, navem conſpexit prægrandem onerariam, quę vela factura erat. Nauclerum habebat civem Romanum, Petitium nomine. Is intentis oculis mox agnovit Pompejum, qualem in ſomnis paulò antè viderat, nulliſque expectatis precibus, vel oratione, ſed receptis cum eo omni- E bus, quos voluit in altum eſt provectus. Ita prævectus Amphipolim, inde Mitylenem tranſmiſit, ubi Corneliam uxorem, & filium accepit, & ad Ptolemæum in Ægyptum confugit. *Plut. in Pompejo.*

M. Cato Uticenſis à Cæſare Uticæ obſeſſus, cùm mori ſtatuiſſet, ea nocte de philoſophia Stoica diſſeruit, ac Phædone Platonis de animi immortalitate perlecto, gladio incubuit. *Vol.lib.14.c.2. Anthrop. ex Plut.*

Augustus Cæſar graves ignominias, cladeſque duas omnino, nec alibi quàm in Germania accepit, Lolianam, & Varianam: ſed Lolianam majoris infamiæ, quàm detrimenti: Varianam penè exitiabilem, tribus legionibus cum Duce, legatiſque, & auxiliis omnibus cæſis. Nam Germani, poſt Druſi interitum, Quintilii Varii, qui cùm legionibus ad provinciæ præſidium remanſerat, libidinem, & avaritiam pertæſi, Ariminio Duce arma capiunt: tantaque tum Quintilio pacis fiducia fuiſſe dicitur, ut cùm de Germanorum motu, & defectione aliquanta priùs reſciviſſet, nihil ſit tamen commotus, fuitque ea negligentia ipſi duci, & le- F gionibus exitio. Enimverò cùm incautus fortè jus in caſtris Quintilius diceret, ſubito hoſtium acceſſu, ne certamine quidem ullo injecto, cùm tribus eſt legionibus cæſus. Cujus cladis nuncius Romam perlatus, adeò civitatem perculit, ut excubiæ ſint in urbe indictæ, ne quis in ſumma trepidatione exiſteret tumultus: & Auguſtus præſidibus provinciarum imperium prorogavit, ut à rerum peritis ſocii in fide continerentur. Vovit & magnos ludos Jovi, ſi Reſpub. in meliorem ſtatum reſtitueretur, adeòque ea legionum jactura affectus dicitur, ut per continuos tres menſes barba, capilloque ſubmiſſo, nonnunquam caput foribus impingeret, vociferans, Quintili Vare, redde legiones, diemque quo clades illa accepta eſt, quotannis mœſtum, & lugubrem habuit. *Sabell.lib.9.Enn.6. ex Sueton.*

Maximus tyrannus contra Theodoſium Magnum, & Valentinianum II. movens in Pannoniam, Pætovione capta, & præſidio confirmata, uſque ad Savum amnem proceſſit: atque ibi, Sciſcia occupata, ſubſedit. Ubi verò certior factus eſt, Juſtinam matrem cum Valentiniano ſinum Jonium trajecturam, paratis triremibus, Andragathium, cujus opera Gratianum interfecerat, ad illos capiendos dimiſit. Qui, G curſu in omnes partes intento, tamen propoſitum tenere non potuit, quòd eos ante adventum ſuum fretum tranſmiſiſſe offendit. Maximi clade percepta, Andragathius, quòd acerbiſſima ſe paſſurum, & Gratiano à ſe occiſo pœnas daturum ſentiret, ſi in manus Theodoſii perveniſſet, rebus deploratis omne belli conſilium poſuit, ac ſe è navi in mare præcipitavit, atque ibi vitam finivit. *Sigon.lib.9. Imp.occid.*

Maximus Conſtantii legatus rebellantes Britannos magna ſtrage vicerat. Octavius Britannorum Rex (laborabat is tum valetudine, ſenio nimium confectus) ad infelicis pugnæ nuncium, mœrore magis quàm morbo die tertia eſt extinctus, Octavio filio unico relicto. Sed & ille, ne Romanis in prædam cederet, aufugit in Monam inſulam. *H. Boethius lib.6.*

Ihegnuus à Roman. legionibus in Pannonia adverſùs Galieni Auguſti ignaviam Imp. creatus, cùm infelici pugna ſuperatus eſſet, neque niſi cum imperio vivere conſtituiſſet audacter ſe interemit.

Attila, Hunnorũ Rex, in campis Catalaunicis Ardaricum H Oſtrogothorum Regem dextro cornu, Valamirum Gepidarum Regem cum Theodemire, & Vidimire fratribus ſiniſtro collocarat cornu. Ipſe in medio conſtitutus, ſibi timens ob aruſpicum vaticinia, qui caſurum principem dixerant, cujus exercitus victor evaderet, clitellis equorum in ſtruem congeſtis ſe circumvallavit: qua, ſi quid adverſi accidiſſet, nullaque foret effugii ſpes, incenſa cremaretur. Victus tamen, Ætii improbitate effugit. *Cuſp.*

Samuel Bulgarorum Dux, cùm videret ſuorum XVM. à Baſil. Rom. Duce excæcata, uno tantùm relicto, qui oculis orbatos ad eum duceret, tertio die poſt præ animi dolore periit. *Volat.lib.23. Anthrop.*

Theophilus Imp. ob Amorium à Saracenis expugnatum, & præſtantiſſimos Duces partim occiſos, partim in captivitatem abductos, cùm de redemptione eorum ſpem non haberet, in morbum incidit, & Theophobum, quem habebat ſuſpectum de regni invaſione, interfici juſſit, ejuſque caput amplectens inquit: Jam neque ego Theophilus ſum, neque tu Theophobus, atque ita expiravit. *Zonaras.*

Michael Curopalates Conſtantinopolitan. Imp. in bellis A ſemper victor, ſemel à Bulgaris ſuperatus, præ pudore Imperium depoſuit: & quod vitæ ſuperfuit, religioſè in ſolitudine tranſegit. *Fulg. & Egnat. l.4. c.5.*

Almansor Arabum in Hiſpania Rex, cùm antè de Chriſtianis victoriam ſemper reportaſſet, poſtremò à Garſia Caſtulonenſi comite (nondum enim Comitatus in Regium nomen tranſierat) atque Veremundo Legionis Hiſpanienſis Rege bello ſuperatus, conſpectu Arabum, atque alloquio humano, omnique cibo abſtinuit, atque ita cito confectus eſt. *Ital. Fulg. l.4 c.5.*

Urbanus III. Pp. cùm Ferrariæ nuncium de Hieroſolymis à Saladino captis accepiſſet, an. MCXXCVII. 14. Calend. Nov. mortem obiit. *Sigon. l.15. regni Ital.*

Otho II. Imp. re malè contra Græcos, & Saracenos in Calabria geſta, Romæ triſti animi ægritudine tabefactus interiit, an DCCCCXXCIII. *Item l.7. regni Ital.*

Joannes Angliæ Rex à Ludovico Franco, & Alexandro II. Scotorum Rege Londino pulſus, mœrore magis quàm morbo confectus, diem ſuum obiit. Ferunt quidam clam à Monacho, cujus cœnobium deſtruere in animo habebat, dato veneno necatum fuiſſe. *H. Boeth. l.13.*

Boleslaus III. Polonorum Rex, quadragies ſexies in bello victor, extremam cladem à Ruſſis acceptam iniquiſ-B ſimo tulit animo: ut etiam conſpectum, & colloquia hominum vitaverit. Unde in languorem corporis, & morbum incidit: qui ſenſim ingraveſcens, omnem medicinam renuentem toto anno lecto affixum magnoperè debilitavit, & confecit. *Crom. l.6.*

Bello Liguſtico ſecundo, Veneta claſſis à Genuenſibus ad Corcyram nigram profligata eſt. Andreas Dandalus claſſis præfectus cum quatuor millibus Venetorum captus, cùm Genuam duceretur, præ nimio dolore ita graviter, totieſque triremi caput impegit, ut antequam Genuam ventum eſſet, expirarit. *Sab. l.1. Decad. 1.*

Urſatus Juſtinianus Venetæ claſſis præfectus, cùm Mitylenen bis fruſtrà oppugnaſſet circa annum MCCCCLIIX. quinque hominum millibus amiſſis, reliquiſque magna ex parte ſauciis, rei malè geſtæ conſcientia ita dolori indulſit, ut jam ſibi parum conſtare crederetur. In Peloponneſum delatus, ubi Methonem ventum eſt, dum è navi à ſuis in litus exponitur, ſubitò dolore, velut ruina quadam depreſſus, dimidio horæ expiravit, vir inter ſuos, & magnitudine animi, & ſumptuo-C ſitate illuſtriſſimus. *Idem l.8. Dec.3.*

Veneti poſt Vailæ cladem ann. MDIX. 14. Maii ab Galliæ Rege Ludovico XII. acceptam, magna parte imperii continentis exuti, rebus adverſis perterriti, & ne Galliæ Rex ulterius progrederetur, ſummoperè metuentes, rerum ſuarum deſperatione, ac metu potius quàm conſilio ducti, copiis ſuis, quæ abſque diſciplina, ullove ordine ad valde exiguum numerum redactæ erant, Meſtrium contractis, ne tot hoſtes haberent, atque etiam ut Galliæ Regi Venetias appropinquandi occaſionem adimerent; fortè nimis præcipiti conſilio, continentis imperio cedere ſtatuerunt: neque enim extra metum erant; quin aliquis in ea urbe tumultus, vel à populo, vel ab innumera peregrinorum, qui ibi agunt, multitudine concitatus oriretur: his quidem prædæ cupiditate tractis, illis verò quòd cùm cives ſint, longa ſucceſſione in eadem civitate nati, immò multi ejuſdem ſanguinis, ex iiſdemque familiis, ab honoribus excludantur, ac penè omnibus in rebus patriciis parere cogantur, ferre nolentibus: cujus etiam rei hæc in Senatu ratio adducta fuit, ſi ſponte præſentium pe-D riculorum vitandorum gratia de imperio cederent, ſecunda fortuna, ſi id aliquando contingeret, redeunte, faciliùs recuperaturos: quoniam populi ſponte ab ipſis ſacramento ſoluti, non tam inviti ſub priſtinum imperium redirent, ac ſi apertè rebellaſſent. Quibus rationibus permoti, Venetæ virtutis, & tam illuſtris Reip. ſplendoris obliti, falſarum aquarum imperio contenti magiſtratibus, qui Patavii, Veronæ aliiſque Maximiliano deſtinatis in oppidis erant, ut iis in civium poteſtate relictis inde diſcederent, mandarunt. Et præterea, ut illum aliqua ratione ad pacem flecterent, ſumma celeritate Antonium Juſtinianum legatum ad eum miſerunt: qui ad Cæſaris conſpectum in publico conſeſſu admiſſus, miſerè, & ſubmiſsè admodum, ſed fruſtra, quia Cæſar nulla de re abſque Galliæ Rege paciſci volebat, locutus eſt. Quo minus autem totum continentis imperium amiſerint, potiſſima cauſa fuit Cæſaris negligentia, & confuſa rei bellicæ adminiſtratio: cujus ad eam uſque diem, in tanto victoriæ curſu, nihil præter nomen auditum fuerat: quamvis Gallicorum armorum terrore, tot urbes, oppidaque ſe illi dedidiſſent, quæ conſervare illi facillimum fuiſſe: ſed poſt E Cameracenſe fœdus, aliquot dies in Flandria, ut pecunias in id bellum cogeret, moram traxerat: quas non antè accepit, quàm inutiliter conſumpſerit. *Guicciard. libr. 8.*

Victor Capellus, Venetæ præfectus claſſis, Paulo II. ſedente, cùm Patras Achajæ urbem bis tentaſſet, bis magnam cladem à Turcis accepiſſet: mœroris plenus primò in Zacynthum, hinc in Eubœam navigavit: ubi adeo dolori indulſit ob rem infeliciter geſtam, ut non multò poſt ſedens repentè expiraverit. Multi amicorum conati ſunt ægrum, & jacentem animum erigere: ſed vir vehementi ingenio, percepta ſemel ſuſpicione infamiæ, nullis amicorum precibus, hortationibuſve adduci potuit, ut æquiora reſpiceret. *Sabell. lib. 6. Ennead. 10. & l.8. Dec.3.*

Cùm memorabile illud prælium ad Papiam in Parco inter Cæſarianos, & Gallos committeretur, ferunt Joannem Dieſpachium, qui ſummam inter Helvetios Duces auctoritatem obtinebat, cùm cohortes Helvetias ab Alfonſo Vaſtio Cæſarianorum peditum duce profligatas, ne tentato quidem certamine turpiter fugientes intueretur, & obverſus, ac iratus ſigniferos increpando, cædendoquæ ſiſtere nequiret: graviſſimo compulſum dolore, tantæ acceptæ cladi, ac ignominiæ F ſupereſſe noluiſſe, in eoque præſentis animi decreto pervadentem in confertos hoſtes, honeſtiſſimè cecidiſſe. *Jovius in Piſcario l.16.*

Referunt nonnulli, Mahometem II. Turcarum Imper. ab obſidione Albæ Græcæ repulſum, & ſagitta ſaucium, ſeminecemque in caſtra relatum, aliquantiſper jacuiſſe: Turcas ad Sanon oppidum Imp. tranſtuliſſe, veritos, ne intercedente ipſius morte, poſtero die ad interitum cæderentur. Ad Sarnum cùm ille aliquantulum reſpiraſſet, de belli exitu fuiſſe percontatum. Cùm illi reſpondiſſent, Baſſeum Aſiaticum, & cunctos ferè proceres oppetiiſſe, magnam partem exercitus cæſam, Kurkutoam prætorianarum cohortium præfectum ſub mœnibus trucidatum, munitiones omnes ab hoſte captas, venenum propinari ſibi juſſit. Quod cùm amici recuſarent, timidus, & demiſſus, incenſis caſtris, turpem arripuit fugam. Sic qui ſe Terrorem orbis juſſerat appellari, à parva manu fuſus, fugatuſque eſt. *Bonfin. l.8. Decad. 3.*

☞ *Conſule Titul. Reges fortes.*

G Pomperanus Gallus, cùm Averſa à Cæſaris Caroli V. militibus caperetur, cogitatione defixis in cœlum oculis obſtupeſcens, acerbiſſimoque dolore perculſus, in veſtigio concidit, cùm rigerent adhuc oculi, nec ullis fomentis ei exanimato, vita ſubito deliquio erepta, reſtitui poſſet. *Jovius l.26. Hiſtoriarum.*

In Monomachia.

Bucicaldus, ſive Gutecaldus, Gallico præſidio Genuæ præfectus, circa annum MCCCCV. ingenti ſtatura, quia à Galeacio Gonzaga, puſilli corporis, cæterùm animi invicti, ex provocatione ſingulari certamine ſuperatus eſset: ejus ignominiæ impatiens, nunquam ampliùs loricam induit. *Sabel. l.9. Ennead.9.*

LIBERTATEM. NON ferre Disciplinam Severiorem.

Dionis Filius, peſſimè à Dionyſio tyranno educatus, cùm H à patre Syracuſas reverſo ſeveriori diſciplinæ ſub pædagogo commiſſus eſset: freni impatiens de ſummis ædibus ſe præcipitem dedit. *Plut. in Dione.*

Carceres.

Cleomenes Lacedæmonum Rex, regno pulſus ab Antigono Macedonum Rege, ad Ptolemæum Ægypti Regem ceu ad amicum profugit. Cæterùm nulla ope adjutus, ſed ut captivus, in cuſtodia habitus, cùm tredecim comitibus carcere elapſus, per urbem diſcurrens, duos Ptolemæos regios præfectos, qui magna manu ſe oppoſuerant, obtruncavit, fruſtraque ad libertatem vocatis civibus, cùm videret tandem ſibi in Ptolemæi poteſtatem eſſe redeundum, mutuis ſe vulneribus interemerunt. *Plut. in ejus vita.*

Ethus Scotorum Rex ignaviſſ. à proceribus in carcerem conjectus, tertio die præ mœrore obiit, cùm ſibi Gregorium ſubſtitutum audiſset. Alii, ne regno aliquando recepto dejectionem ulciſceretur, in carcere ſtrangulatum putant. *Hector. Boeth. l.10.*

Subje-

Subjectionem, Servitutem.

A Puer Spartanus captus ab Antigono Rege, ac ſub haſta venditus, in cæteris omnibus quæcunque putabat ab ingenuo decenter fieri poſſe, obſequens erat ei, qui ipſum fuerat mercatus: cæterum juſſus afferre matulam, haud ſuſtinuit, dicens: Non ſerviam. At cùm inſtaret herus, puer conſcenſo tecto, dixit: Senties cujuſmodi mercatum feceris: moxque ſeſe è ſublimi præcipitem dedit, ac periit. *Plut. in Laconicis.*

Lacæna, cùm venundaretur, rogante præcone. Quid ſciret? Libera, inquit, eſſe. Ut verò injunxit ei emptor quædam, quæ liberæ erant indigna, ait: Pœnitebit te, quòd ejuſcemodi mancipium tibi invideris. Mox mortem ſibi ipſa conſcivit. *Plut. in Apopht.*

Cùm omnibus cis Iberum Hiſpanis arma Portius Cato ademiſſet: adeò ægrè paſſi ſunt, ut multi mortem ſibimetipſis conſciſcerent, ferox gens nullam vitam rati, ſine armis eſſe. *Cælius l.18. c.22. Antiq. lect.*

Captivitatem.

Cùm Veneti circa annum MCCCCLXXI. Attaliam Pamphyliæ urbem oppugnarent, ferunt, medio certamine Feminam Illyrici generis, quæ diu inter Barbaros ſerviverat, ex ſuperiore parte clamoribus, nutu, hortatione, Chriſtianos juvare auſam: cùm ex proximis quidam ei flagra minare-B tur, compoſita priùs veſte ſummo muro deſiluiſſe, moxque ſuo pondere ſolo afflictam, inter ſuorum complexus expiraſſe. *Sabell. l.9. Dec.3.*

P. Crassus Mutianus, Conſul. cum L. Valerio Flacco factus anno Urbis DCXXIII. ſimul, & Pontifex, novo exemplo contra Ariſtonicum in Aſiam miſſus, à Thracibus, qui Ariſtonico familiares erant, interceptus, & captus fuit. Ut turpem ſervitutem evitaret, in itinere dum duceretur, virgam, qua ad dirigendum equum utebatur, in oculum Barbari direxit, eumque excæcavit. Qui vi doloris accenſus, latus Craſſi ſica confodit. Caput mortui Ariſtonico oblatum, corpus Smyrnæ ſepultum. *Val. Max. l.3. c.2. & Frontin. l.4. c.5.*

Prætor Eubœæ ab Icario ſuo quondam ſervo captus, ſub Michaele Comneno Palæologo, regiam ingreſſus, &, ut captivum decet, ante fores ſtans, cùm Imperatorem in ſolio conſidentem, Senatumque omnem ſplendido, & modeſto habitu circumſtantem, Icarium verò ornata veſte, & inſolenti geſtu introeuntem, & exeuntem, & Imperatori in aurem inſuſurrantem conſpexiſſet: abrupta ſtatim vita, pronus humi concidit, C iniquæ fortunæ violentiam peroſus. *Gregoras l.4.*

C. Jul. Cæsar, occupato Piceno Corfinium venerat, Oppido tunc præerat L. Domitius, vir magni animi, ſed exiguæ fortunæ. Is defenſionem parans, ſed ab oppidanis ad deditionem coactus, cùm mori mallet, venenum à ſervo medico popoſcit. Quod ille nec dare volens, nec negare auſus, ut qui Domini mores noſſet, poculum ſomniferum pro veneno obtulit: quo ille hauſto, gravi ſopore reſolutus conquievit. Experrectus poſtmodum, & deluſum ſe intelligens, vixque à ſervo manus abſtinens, cum multis nobilibus, qui ſecum ſentiebant, vinctus ad Cæſarem eſt perductus, mori cupiens. Quem Cæſar illicò ſolvi juſſit, neve quis eorum à militibus re, vel verbis offenderetur, inhibuit. *Jo. Gerund. l.9. Par. Hiſp.*

Victorinus, legatus Theodoſii Auguſti, Pictos Britanniæ populos ad leges Romanas cogebat. Heirguſtus Rex jam ſenio gravis (qui Scotos Maximi Rom. legati ductu ex Albione crudeliter ejecerat) ignominioſa ſervitute ſeneſcendum ſibi proſpiciens, ne diutius ſupereſſet ad ludibrium, ſemotis arbitris, velut ſecretiùs quid acturus, cubile ingreſſus, mortem D ſibi conſcivit. *H. Boethius l.7.*

Actiolinus à Romano (quem Eccelinum vulgò vocant) Friderici II. Rom. Imp. copiarum in Italia Dux, rei militaris peritia, & immanitate crudelis ingenii tyrannos omnes ſuperans, à Turrianis Mediolani magiſtratum gerentibus circa annum MCCXXXIIX. victus, ad Soncinum ſuo, atque alieno cruore perfuſus, cùm ſeſe incitato inſigni equo eripere conaretur, vivus in poteſtatem hoſtium devenit, nec multò poſt in tabernaculo Boſii, repudiatis remediis expiravit: cùm nullis vel benignis precibus adduci poſſet, ut bene ſperaret, & obligari vulnera pateretur, quinimmò obligata in feræ morem unguibus conſcinderet. Torvis enim oculis ferociam ſpirans, neminique reſpondens, tot ſcelerum pœnas effugere accerſita morte properabat, ne turpi incerta vitæ deſiderio ludibriis, ignominiæque ſupereſſet. *Jovius in vita Othonis, & Sab. l.9. c.3.*

Turcæ quidam à Siqueira Luſitano Indiæ prætore, anno ſalutis humanæ MDXXII. prope Dium capti, cùm mortem ſervituti longè prætuliſſent, clavorum attritu ſcintillas excuſſe-E runt, quibus in tormentarium pulverem dejectis, flamma navem, & ipſos captivos cum omnibus Luſitanis abſumpſit. *Oſor. l.12. rerum Emmanuelis.*

Exilium. Patriæ desiderium Immodicum.

Demosthenes, ob accepta ab Harpalo munera, talentis quinquaginta multatus, fugæ conſuluit. Cùm non procul urbe profugiſſet: ferunt, percipientem aliquot cives ex adverſariis, qui ipſum perſequebantur, quæſiviſſe latebras. Cæterùm cùm illi nomine eum compellaſſent, & propè congreſſi petiſſent, viaticum ut acciperet ab ſe (in id enim attuliſſe domo ſe pecuniam, atque ejus rei gratia inſecutos ipſum) confirmarentque, ac monerent, ne caſum ferret acerbè: in majorem erupiſſe lamentationem, ac dixiſſe: Qui valeam non graviter ferre, qui reliqui urbem, ubi tales habeam inimicos, quales non promptum ſit invenire in alia amicos? Tulit exilium imbecilli animo Æginæ, & Trœzene ferè ſedens Atticam lachrymis oppletus reſpectabat. Urbe excedens, porrectis ad arcem manibus dixit: O Domina Minerva, qui beſtiis tribus teterrimis delectaris: noctua, dracone, & populo? Illos, qui viſebant ſe, & agebant ſecum, deterruit à F Repub. adoleſcentes. Dixit, ſi duabus propoſitis ab initio viis, una, quæ ad ſuggeſtum, & concionem duceret, altera recta ad perniciem, impendentia autem in Repub. mala prævidiſſet, terrores, invidias, calumnias, concertationes: in eam ſeſe, quæ ad præſentem ferret peſtem, præcipitaturum fuiſſe. *Plut. in Demoſthene*

C Martius Coriolanus perpetuo exilio à populo damnatus, domum profectus, poſtquam matrem, & uxorem complexu ſalutavit, lacrymarum, & ejulatus plenas, ejulanteſque, ut caſum ſuum ferrent moderatè monuit, confeſtim digrediens ad portam eſt profectus. Quò à frequenti nobilitate deductus, nulla re accepta, vel à quoquam petita, comitantibus tribus, aut quatuor clientibus, exceſſit urbe. Inde cùm paucos dies in villis quibuſdam ſuis varia conſilia ſecum volviſſet, quemadmodum pœnas expeteret à populo Romano, grave ſtatuit iis movere, & finitimum bellum. *Plut. in Coriol.*

M. Tul. Cicero exul, quamvis frequentes cum celebrarent amici, Græciæ quoque civitates officiis erga cum certa-G rent: animo tamen manſit abjecto, & mœſto, crebrò Italiam inſanorum more amatorum reſpiciens: itaque fractus calamitate, & dejectus, & æger animi, ut non expectares de viro in literis enutrito tam multis. Et quidem ab amicis petiit ſubinde, ne oratorem ſe, ſed appellarent philoſophum. Philoſophiam enim ſe ut opus ſectatum: eloquentia ad Rempubl. gerendam, ubi uſus ſit, uti tanquam inſtrumento. *Plut. in Cicerone.* Teſtantur idipſum epiſtolæ, ejus in exilio ſcriptæ.

Petrus de Vineis, Capuanus, juriſperitiſſimus, Frider. II. Imp. chariſſimus, cùm ab eo propter conjurationis ſuſpicionem in exilium miſſus eſſet, doloris impatiens, capite parieti ſæpè illiſo expiraſſe dicitur, compoſito priùs de Conſolatione libello. *Volat. l.23. Anthrop.*

Obsidionem.

Maximilianus Sforcia Ludovici F. Mediolanenſium Princeps, obſeſſus in arce à Gallis, labefactatis aliqua ex H parte ſenſibus, mente excedere ita viſus eſt, ut neglecto priore cultu non priùs interiorem tunicam exueret, capillumve pecteret, quàm ſubortis undique pediculis, pedore, & fœda illuvie deformis conſpiceretur. Horrendæ etiam imminentium rerum ſpecies triſti animo per quietem obverſabantur: unde illi gravior morbus, cùm relictis ſtratis, inſomnes noctes perducere cogeretur. Proinde & animi, & corporis morbis confectus, Joannes Gonzaga, & Hieronymus Gonzaga, juvenilem animum perfidè ſuis conſiliis corrumpentibus, cùm Gallorum opes diù adhuc ſecurè poſſet ſuſtinere, trigeſimo oppugnationis die arcem dedidit: his conditionibus, ut ſibi, ac præſidiariis militibus res ſuas, atque omnem ſupellectilem, præter militarem apparatum, efferre liberum foret: atque ipſi ab Rege trigintaquinque aureorum millia ſingulo quoque anno perſolverentur, modò per publicas tabellas paterno juri cederet, & ſe injuſſu Regis, fide data, Galliæ tranſalpinæ fines minimè exceſſurum ullo tempore polliceretur. *Sab. ſuppl. l.5. ex Jov.*

AMICITIAM POLITICAM

A Non ferre.

Amicorum quorumvis, Sociorum, Subditorum, Civium

Odium, Malevolentiam.

Timesias Clazomenius bene, juſtèque Clazomenius præerat, vir omni virtutis genere ornatiſſimus. Tranſibat quodam tempore per ſcholam. Pueri verò dimiſſi à præceptore ludis operam dabant. Cùmque duobus de linea incidiſſet contentio, alter jurabat: Sic ego Timeſiæ cerebrum diſcuſſerim. Hoc audito, ille putans, ſe in communi omnium hominum invidia eſſe poſitum, & vehementer à ſuis civibus odio haberi, ſiquidem & pueri eum odiſſent, nedum ſenes, ſpontè, atque ultrò è patria conceſſit. *Ælian. lib. 12. de Var. hiſt. Plut. in Politicis*, pueros ex foſſa quapiam talum eruiſſe inquit: & cùm quidam dicerent, quieſcendum eſſe: unus percutiens talum: Sic Timeſiæ cerebrum excutiam, dixit, ut hic excuſſus.

Defectionem.

Nero Cæſar poſtquam Galliam, & Hiſpanias deſciviſſe cognovit: collapſus, animoque malè fracto, diù, & ſine voce, & propè intermortuus jacuit. Utque reſipuit, veſte di-
B ſciſſa, capite converberato, actum de ſe pronuntiavit. Conſulentique nutriculæ, & aliis quoque jam principibus ſimilia accidiſſe memoranti, ſe verò præter cæteros inaudita, & incognita pati reſpondit, qui ſuum imperium vivus amitteret. Nec eo ſecius quicquam ex conſuetudine luxus, atque deſidiæ omiſit, vel imminuit. Quinimmò cùm proſperi quidam ex provinciis nunciatum eſſet, ſuper abundantiſſimam cœnam jocularia in defectionis duces carmina, laſciveque modulata, etiam geſticulatus eſt: ac ſpectaculis theatri clàm illatus, cuidam ſcenico placenti nuncium miſit, abuti eum occupationibus ſuis. *Suetonius.*

Mortem.

Achilles Patrocli mortem impotenter adeò tulit, ut non tantùm cinere caput conſperſerit, in luto ſeſe volutarit, cæſariem totonderit: verùmetiam Hectoris cadaver equi caudæ alligatum ter circum Pergama raptari, & multos Trojanorum ad buſtum Patrocli immolarit. *Homer. Iliad. σ.*

Alexander Magnus, Hephæſtione amico ex febre mortuo, confeſtim equos omnes, muloſque tonderi lugubriter juſſit, circumjectorum oppidorum pinnas detraxit, Glaucum
C medicum innocentem egit in crucem, tibias, muſicamque perdiu in caſtris compeſcuit: quoad ab Ammone allatum oraculum eſt, ut Hephæſtionem colerent pro Deo, eique ſacrificarent. Ad luctus elevationem bellum adhibuit, ac ſicut ad venationem hominum egreſſus, Cuſſæorum gentem excidit, omnemque ad internecionem delevit. Ea Hephæſtionis parentatio dicta. In tumbam, & monumentum ejus, atque in hæc exornanda decem millia talentum intendens expendere, operiſque præſtantia, & exquiſita arte ſuperare ſumptum, deſideravit præter omnes artifices Staſicratem, qui projectam granditatem, & magnificentiam in novis rebus edendis promittebat. *Plut. in Alex. & Æl. l. 7. Var. hiſt.*

Evenus Scotorum Rex, ob Cadalli Brigantini principis (cui & regnum, & vitam contra Gillum tyrannum ſervatam debebat) mortem mœrore contabuit. *H. Boeth. l. 2.*

Aidanus Scotorum Rex, audito Columbæ Abbatis in Jona inſula, viri ſancti, & de ſe optimè meriti obitu, mœrore magis quàm morbo correptus, brevi eſt extinctus. *Idem lib. 9.*

D Joannes Capiſtranus Franciſcanus Monachus, defuncto Jo. Corvino, cui in defendenda Alba Græca contra Turcas præclaram operam navarat, nunquam amplius ridere viſus eſt, noctes aliquot inſomnes exegit, inter contemplandum cum Deo ſæpè conqueſtus, quare cum collega ſibi obire non liceret. Paucis poſt diebus ex mærore obiit, ad Villacum, in Syrmienſi agro, D. Franciſci æde, collegioque ſepultus. *Bonfin. l. 8. Decad. 3.*

Inimicorum quorumvis

Victoriam.

☞ *Vide paulò antè, Victoriam non ferre. Illic Victoriæ, hìc Victoris inimici habetur ratio.*

Inſolentiam.

M. Bibulus partim pudore, partim dolore, quo C. Jul. Cæſaris collegæ injuriis afficiebatur, toto conſulatu domi manſit: eo excepto die, quo de filiorum morte certior fuit factus. Eo enim frequens in curia munus ſuum obivit. *Suet.*

Honores, Dignitatem.

Equites quidam Romani, eò quòd Cn. Flavius, humillimæ E ſortis homo, præturam adeptus erat, offenſi, annulos aureos ſibimetipſis, & phaleras equis ſuis detractas abjecerunt, doloris impotentiam teſtati. *Val. Max. l. 9. c. 3.*

M. Agrippa ex levi rigoris ſuſpicione, & quòd Marcellus ſibi apud Auguſtum Cæſarem anteferretur, Mitylenas ſe, relictis omnibus, contulit. *Suet.*

AMICITIAM OECONOMICAM.

Non ferre, Ægre ferre.

Parentum

Odium.

M. Æmylii Scauri F. cùm eò, quòd in ſaltu Tridentinò hoſtibus loco ceſſiſſet, in conſpectum patris venire non auderet: verecundiæ ignominia preſſus, mortem ſibi conſcivit, ut eſt apud *Cæcilium, & Frontinum lib. 4.*

Mortem.

Fuiſſe Alcyonei gigantis filias Alcyones, Pauſanias prodit, ac eſt ab Apoſtolio in Jonia repetitum, Phthoniam, F Athen, Methonen, Alcippam, Pallenen, Drymo, Aſterien: quæ à patris obitu ex Pallenes promontorio in mare ſe præcipites dederint: verùm ab Amphitrite in avitiam gentem ſunt cooptatæ, ita ut mares ceryli dicantur Theocrito, in Bionis Epitaphio (qui conſeneſcentes, inquit Pauſanias, à feminis geſtantur) femina autem Damar: ut eſt apud Lycophronem, & expoſuit Interpres. *Cæl. l. 14 c. 11. Antiq. lect.*

Cleomenis Spartanorum Regis in Ægypto exulis Filius, cùm ex parentis ſuæ Crateſicleæ lachrymis patris mortem ſuſpicaretur: nulla re dicta à ſummo ædium culmine ſe præcipitem demiſit, egitque ea re, ut omnes Cleomenis filium fuiſſe intelligerent. *Plut. in Cleomene.*

Liberorum.

Improbitatem, Impudicitiam.

☞ *Conſule Tit. Crudelitatis erga liberos, quatenus non ferentes improbitatem ſuorum, ad vindicandum crudeliter impelluntur.*

Artoxerxes Rex, cùm Ochum filium deprehendiſſet fratribus inſidias ſtruentem, animum deſpondens, vitam finivit. *Plut. de Pietate erga fratres.*

Auguſtus Cæſar aliquanto patientiùs mortem, quàm de- G decora ſuorum, tulit. Nam Caii, Luciique ex Agrippa nepotum caſu non adeò fractus: de filia Julia impudiciſſima abſens, ac libello per Quæſtorem citato, notum Senatui fecit, abſtinuitque congreſſu hominum diù, præ pudore: etiam de necanda deliberavit. Certè cùm ſub idem tempus una ex conſciis liberta, Fœde nomine, ſuſpendio vitam finiſſet: maluiſſe ſe ait, Fœdes patrem fuiſſe. Relegatæ uſum vini, omnemque delicatiorem cultum ademit: neque adiri à quoquam liberè, ſervoque niſi ſe conſulto, permiſit: & ita ut certior fieret, qua is ætate, qua ſtatura, quo colore eſſet, etiam quibus corporis notis, vel cicatricibus. Poſt quinquennium demùm ex inſula Pandateria in continentem, lenioribuſque paulò conditionibus, tranſtulit eam. Nam ut omnino revocaret, exorari nullo modo potuit. Deprecanti ſæpè populo Rom. & pertinacius inſtanti, tales filias, taleſque conjuges pro concione imprecatus eſt. Ex nepte Julia poſt damnationem editum infantem agnoſci aliquem vetuit. Agrippam nihilo tractabiliorem, immò in dies amentiorem in inſulam tranſportavit, ſepſitque inſuper cuſtodia militum. Cavit etiam Senatuſcon- H ſulto, ut eodem loco in perpetuum contineretur: atque ad omnem, & ejus, & Juliarum mentionem ingemiſcens, proclamare etiam Homericum illud ſolebat, αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι: O quàm utile fuiſſet, & ſine uxore eſſe, & ſine liberis periſſe: nec aliter eas appellare, quàm tres vomicas, aut tria carcinomata ſua. *Suet.*

Stuprum.

Evenus Martis, & Steropæ F. cùm ſtupratorem filiæ Marpiſſæ, Apharetum nomine, comprehendere non poſſet ad ſupplicium, conjecit ſe in Lycormam fluvium præ animi dolore. *Plutarchus.*

Anius Thuſcorum Rex, filiam habuit Saliam nomine: quam cùm rapuiſſet Catheus adoleſcens, iratus pater, in fluvium, Anienem inde cognominatum, priùs Parenſium dictum, ſeſe projecit. *Plut. in Sabel. l. 4. Enn. 2.*

Hippo, & Miletia, filiæ Scedaſi inter Bœotios ditiſſimi, cùm eas Spartani adoleſcentes per vim conſtupraſſent, ac demùm occultandi ſceleris cauſa in puteum dejeciſſent, pater
A impatiens mœroris, ad earum tumulos ſeipſum confecit.

Repudium.

Catone fervidiorem ſe in Antiſtia amanda Mater oſtendit: nam cùm vidiſſet à Cn. Pompejo repudiatam filiam, & pro ea Æmyliam ductam, manu ſua mortem conſcivit. *Fulgoſus l. 5. c. 7. & Sabell. l. 3. c. 4.*

Captivitatem.

Robertus III. Scotorum Rex, cùm filium Jacobum, quem in Angliam ad Eduardum IV. miſerat, ne à patruo regni gubernatore tolleretur, captivum in Anglia detineri comperit: ex ingenti mœrore, aucto, quo ſemper laboraverat, morbo, tertium poſt diem vita exceſſit, anno regni ſui ſexto, & decimo, & à Chriſti natali M.CCCCVI. *H. Boeth. l. 16.*

Mortis ſuſpicionem.

Auctolia, Sinonis filia, & uxor Laertæ, cùm falſo nuncio intellexiſſet, Ulyſſem filium apud Trojam in bello occubuiſſe, impatientia mœroris vitam projecit.

Ægeus Athenienſium Rex, procul intuitus navim, qua filius Theſeus ex Creta victor vehebatur, quia non candida eſſent illi vela, ſive cærulea (ut alii memorant) quæ lætitiam,
B & filii incolumitatem teſtarentur, ſed funeſta, & arti coloris, quæ à principio abeunti fuerant, Theſeum periſſe ratus, ex alta ſpecula in ſubjectum ſeſe pelagus præcipitavit. *Sabell. l. 3. c. 4. ex Plut. in Theſeo.*

Solon Athenienſis falsò nunciatam filii mortem quantoperè deflevit apud Thaletem, *pete ex Tit. Prudentiæ in reprehendendis aliorum dictis, & factis.*

Carthaginenſium Matres, cùm tertio bello Punico ex omni nobilitate lectiſſimi adoleſcentes in Siciliam mitterentur, eos fletu, & lamentatione querula ſunt ad naves uſque comitatæ: tum ex his quædam à filiorum complexibus avulſæ: ubi oram ſolutam viderunt, navimque portu egredi, dolore ſtimulante in ſubjectos fluctus deſilierunt. *Sab. l. 3. c. 4.*

Mortem.

Ino Cadmi filia, ex Athamante duos peperit filios, Learchum, & Melicertam, prætereà filiam Eurycleam. Athamas autem verſus in inſaniam, reliquos liberos arcu percuſſit, occiditque. Ino unà cum Melicerta ſeſe in mare abjecit. Et hanc quidem Megaras undis appulſam Megarenſes multo cum honore exceperunt, juſta perſolventes Leucothoe nomine commutato: illum verò Corinthum de-
C latum, Corinthii ſepelierunt, & in ejus honorem Iſthmios ludos inſtituerunt: nomine item commutato vocantes Palæmonem. Hinc ortum Adagium, ut intolerandum, & examinantem, ut ita dixerim, dolorem ſignificantes, dicerent, ἰνοῦς ἄχη. Nam ἄχος propriè dolor dicitur apud Græcos, qui prorſus obſtupefacit, ſuique ſenſum adimit homini. *Eraſm. in Adag.*

Niobe Thebani Amphionis uxor, cùm ſe filios, totidemque filias Apollinis, & Dianæ ſagittis, hoc eſt, peſtilentia confectos amiſiſſet: præ dolore in ſaxum mutata fingitur, cum prope Sipylum promontorium eminens procul ſpectantibus mulieris lugentis ſpeciem exhibere videatur. Amphion ipſe ſibiipſi mortem conſcivit. Quidam Nioben dolore obmutuiſſe ferunt, & propterea ſaxi appellationem traxiſſe. Alii ob mœrorem brevi defunctam, & ſepultam marmoreo monumento, quod per æſtum ratione Phyſica ſudans, lachrymas effundere videtur. Sic enim Sophocles quoque Antigonem ſepultam Niobe aſſimulavit. *Euſtath. Iliad. ω.*

Pyrene nympha Cenchriam filium per imprudentiam à
D Diana interfectum tantoperè luxit, ut in fontem ſui nominis mutata fuerit.

Pythium Bithynum, ajunt, imparem dolori, quo miſerè ob immanem filii necem à Xerxe conflictabatur, in monumentum ſe conjeciſſe, quod ipſe in tumuli vertice excitarat: atque inibi flebiliter, quod ſupererat vitæ, compleſſe, ſummittente illi diebus ſingulis cocta cibaria uxore, cui principatus moderamina per manus tradiderat. *Cæl. l. 19. c. 18. Ant. lectionum, ex Herodoto.*

Solon cùm olim propter defunctum filium unicè lugeret, diceretùrque ſibi à quopiam: At nihil proficis, reſpondit Solon: Et propter hoc ipſum lachrymor, quia nihil proficio. *Laert. l. 1. c. 3.*

In Africa Ab Automalis iter facientibus occurrit mons, ex utroque latere præruptus, in cujus medio alta eſt caverna, ex qua ardua rupes ſurſum tendit: ad ejus radicem antrum inſignis magnitudinis, hedera, & taxo obſitum. In eo vixiſſe fabulatur reginam Lamiam, inſignis pulchritudinis mulierem; ſed ejus faciem poſteà, propter animi feritatem, in bellvinam E transformatam ferunt. Cùm enim ei omnes liberi morerentur, hoc caſu mœſtam, & invidia adverſus fœcundas motam, ex ulnis infantes abripi, & confeſtim necari juſſiſſe, fama eſt. Hinc ad hanc uſque diem manere apud pueros illius mulieris memoriam, atque iis ejus nomen eſſe ſummo terrori. Cùm autem ebria eſſet, licentiam omnibus dediſſe quidvis pro arbitrio faciendi, atque per illud tempus, quoniam ea, quæ fierent in illis finibus, non inquireret, pro cæca habitam fuiſſe. Hinc fabulantur quidam, eam oculos in marſupium occuliſſe, transferentes eam, quæ è vino naſcebatur incuriam ad ſupra dictum crimen, tànquam vinum eam aſpectu privaſſet. Quòd autem ea in Africæ finibus fuerit, auctor eſt Euripides, inquiens, Quis hominum infame neſcit genus Lamiæ Libyſticæ? *Diod. l. 20.*

Pericles graviſſ. peſtilentia Athenas invadente, reliquorum amicorum funera magnò pertulit animo At poſteàquam filium amiſit Paralum, tum verò fractus, quamvis tenderet gravitatem tueri, & retinere animi celſitudinem, cùm coronam tamen ingereret mortuo, oppreſſus eſt, cùm aſpiceret eum, dolore: ut quod reliqua in vita nunquam fecerat, erumperet in ejulatum, & magnam vim profunderet lachryma- F rum. *Plut. in Pericle.*

Blavus, filiuſque, à Triumviris proſcripti, cùm abire in Siciliam decreviſſent, ad maritimam urbis partem ſeorſum profecti ſunt, ut minus ſuſpecta eorum profectio haberetur. Cùm autem falsò pater filium; qui anteceſſerat accepiſſet in Triumvirorum milites incidiſſe, & ab eis cæſum eſſe, ad ipſos milites ultrò ſe contulit, atque ab eis, ut interficeretur, impetravit. *Fulg. l. 5. c. 7.*

Proſcriptus à Triumviris Aruntius, cùm petere Siciliam conſtituiſſet, uxoris ſuaſu filium ipſum quoque proſcriptum præmiſit. Qui cùm navem conſcendiſſet, atque adverſa tempeſtate actus, neque procedere poſſet, neque retrò ad terram reverti, ita eum fato urgente, fame conſumptus eſt. Quod cùm Mater intellexiſſet, magis eam premente dolore, quia ejus conſilii ipſa auctor fuerat, haud multò poſt ſe ipſam interemit. *Idem.*

Tiberius Imp. Germanicum filium adoptivum ex Druſo. fratre in Syria perdidit, à Gn. Piſone veneno ſubminiſtrato. Unde perturbatus animo, ſeceſſum Campaniæ petiit, quaſi nunquam rediturus Romam. Prohibuit inſuper omnes amicos filii ſui, ac familiares ante faciem ſuam venire, ne dolor innovaretur. Ex hoc Germanico natus eſt Cajus G Caligula, qui Tiberio mox in Imperio ſucceſſit. *Cuſp. ex Joſepho, & Tacit. l. 2.*

Orodes Parthorum Rex, cùm Pacorum filium in bello contra Ventidium amiſiſſet, præ dolore in rabiem converſus eſt. Ea occaſione uſus filius Phraates, parentem cum XXX. filiis interfecit. *Xiphilin. in Auguſto.*

Gordianus ſenior Aphricæ proconſul, ab exercitu Africano adverſus Maximinorum crudelitatem Imp. creatus: cùm filio Gordiano contra Capellianum Maximinorum Ducem miſſo, accepiſſet victum, atque cæſum fuiſſe, præ mœroris magnitudine ſe in cubiculo ſuſpendit. *Fulg. l. 5. c. 7.*

Herodes Attici ſophiſtæ dolorem ex prioris filiæ Panathenaidis obitu conceptum utcunque lenierant Athenienſes, intra urbem eam ſepelientes, & obitus diem ceu funeſtum ex anno ſuſtollentes. Cæterùm, cùm Elpinicen alteram filiam exanimem indecorè lugeret, projectus humi, ac vociferans: Quas inferias tibi faciam, filia? quid tecum ſepeliam? ſuperveniens Sextus philoſophus; Maximum, inquit, munus de- H deris filiæ, ſi moderatè lugeas. *Philoſtratus.*

Proæreſius ſophiſta, profeſſor Athenienſis, gemellis filiabus morte amiſſis, tantam inde concepit mœſtitiam, ut ſapientiam propè omnem ſimul amiſiſſe videretur. Sed illum Mileſius Smyrnæus Poeta, Muſa cognominatus, à mœrore revocavit. *Eunapius in ejus vita.*

Rogerius Tancredi Siciliæ Regis filius, poſtquam Irenem Iſaaci Imperatoris filiam duxerat, vita migravit. Cujus rei dolorem Tancredus adeò acerbè tulit, ut non multis poſt diebus & ipſe finem vivendi fecerit, Gulielmo puero relicto, quem mox Sibylla mater Regem Siciliæ corónandum Panormi curavit. *Sigon. l. 15. regni Ital.*

In pugna Ravennatenſi, ann. M. D. XII. April. XI. commiſſa, Alegrius Gallicus Dux, Viveroem filium ante oculos ſuos ab Italis peditibus eſſe interfectum cernens, ne tanto dolori ſuperſtes eſſet, equo in confertiſſimam hoſtium turbam immiſſo,

miſſo, ut fortiſſimum ducem decebat pugnans, multis jam cæſis interfectus fuit. *Guicciard. l.10.*

Obſeſſa Buda, erat inter Germanos Duces inſignis Reiſchacus Suevus. Hujus filius impiger adoleſcens, cùm ignaro patre in aciem prodiiſſet, ſtrenuèque decertans, ſpectante alio, atque admirante virtutem patre, à cunctis vel ignotus effuſè laudaretur, priuſquam ſe explicaret, à circumfuſis Turcis eſt interfectus. Tum verò Reiſchacus caſu equitis vehementer commotus, converſus ad alios duces: Omni, inquit, laude perornandus videtur hic quiſquis ſit equitum longè fortiſſimus, ac omnino publici funeris honore tumulandus. Id cùm ab omnibus pari pietate probaretur, infelicis filii cadaver eſt relatum. Pater paulò poſt cùm rigentibus oculis ſtetiſſet, nihil effatus interiit. *Sab. Supplem. lib.24. ex Jovio.*

CONJUGUM
Repulſam.

☞ *Ex Tit. Procorum, & Amoris inſani, huc quædam.*

MELITUS Athenienſis non ferens repulſam amatoriam Timagoræ adoleſcentis, incitato curſu in arcem ſe proripuit, & de rupibus præcipitavit.

CALYCA Steſichori poema eſt, in quo mulier quædam nomine Calyca Evathium adoleſcentem amavit, atque Veneri ut illi nuberet, ſupplicavit. Sed cùm eam adoleſcens deſpiceret, ſuſpendio vitam finivit in Leucade. *Athen. l.14. c.6.*

SOLON Athenienſis miles, Theſei uxorem Antiopam Amazonem deperibat. Eam per internuncium allocutus, cùm repulſam tuliſſet, in amnem ſe præcipitavit in Ponto, qui ab ejus nomine Solon dictus eſt. *Plut. in Theſeo.*

Suſpicionem impudicitiæ.

☞ *Vide Tit. Zelotyporum. Item Ultionis zelotipæ.*

HERODES, Rex Judæorum, erga Mariamnem uxorem adeò zelotypus fuit, ut propter eam Joſephum patruum occiderit: amicis quoque non ſemel mandaverit, ut ſi quid ſibi humanitùs contigiſſet, uxorem ſtatim interficerent, ne quis alius ea potiretur. *Joſeph. l.15. Antiq.*

Impudicitiam, Adulterium.

DIOMEDES Rex Ætoliæ, Tydei, & Dephiles filius, unus è Ducibus Græcorum, ab Homero tertius virtute poſt Achilles, & Ajacem poſitus, propter adulterium uxoris Ægialem, quæ rem cum Cylleboro Stheneli filio habuit, redire in patriam noluit, conceſſitque in Apuliam, ubi Adriam condidit, & Argyripam, & Sipuntem, & Salapiam, ibique ſunt Diomedei campi, qui ei ceſſerunt, regione inter ipſum, & Daunum ſocerum diviſa. *Lud. Vives in l.18. Auguſt. de Civ. Dei, c.16.*

EURIPIDEM tragicum ferunt, cùm hiſtrionem ſuum aliquando unà cum uxore ſua miſceri reperiſſet, ea cauſa mulierum genus exoſum habuiſſe, atque in Macedoniam fugiſſe, Comicorum veritum calumnias. *Giral. de Hiſt. Poet.*

Repudium.

M. LEPIDUS cùm poſt Syllæ dictatoris interitum à Catulo diſſenſione civili urbe ejectus in Sardiniam conceſſiſſet, audito Apulejæ conjugis repudio, mortem obiit. *Sabell. l.3. c.5. ex Plin. l.7. c.36.*

Raptum.

NINUS Aſſyriorum Rex, cùm Semiramidis amore propter formam admirabilem teneretur, Menoni ejus viro perſuadere conatus eſt, ut illam ſponte ſibi uxorem donaret: pollicitus, filiam ſe ei in matrimonium daturum formoſ. nomine Soſanem. Menon amore conjugis motus, laqueo vitam finivit. *Diodor. Siculus; & Sabell. l.3. c.5.*

L. SYLLACUS, Claudii principis gener, maritus Octaviæ, ea ſibi erepta, dataque poſteà Neroni, præ dolore gladio incubuit. *Volat. l.19. Anthrop. ex Suetonio.*

Dejectionem à dignitate.

Duxerat FRANCIS. FOSCARUS Venetus Dux, uxorem ſecundo loco, priore mortua, ex Nana familia, cum qua diu vixit, & ex qua ſobolem quoque ſuſcepit. Verùm abrogato illi principatu, publico patrum decreto, ſatis conſtat in Foſcareas ædes reverſum illum, intra triduum diem ſuum obiiſſe. Quem cùm patres publico funere efferri vellent ad Minoritarum templum, uxor nunquam adduci potuit, ut hoc concederet: ſibi eſſe dicens & opes, & voluntatem erga maritum, ut id ipſum præſtaret. Tandem per vim domi incluſa eſt, extractumque cadaver ſumma pompa elatum. *Egnat. l.4. c.6.*

Mortis ſuſpicionem.

Julia, C. Cæſaris filia, cùm ædilitiis comitiis Cn. Pompeii Magni conjugis ſui veſtem cruore reſperſum è campo domum relatam vidiſſet, territa metu, ne qua vis ei eſſet illata, exanimis concidit: partumque, quem utero conceptum habebat, ſubita animi conſternatione, & gravi dolore corporis, eiicere coacta eſt: atque ita expiravit, magno orbis detrimento. *Val. Max. l.4. c.6. & Plut. in Pompejo.*

Mortem.

Senatorii vir ordinis C. Plautius Numida, morte uxoris audita, doloris impotens, pectus ſuum gladio percuſſit. Interventu deinde domeſticorum incœptum exequi prohibitus, colligatuſque, ut primùm eſt occaſio data, ſciſſis faſciis, ac vulnere divulſo, conſtanti dextera ſpiritum luctus acerbitate mixtum ex ipſis præcordiis, & viſceribus hauſit. *Valerius Maximus l.4. c.6.*

Ejuſdem ut nominis, ita amoris quoque M. Plautius, cùm imperio ſenatus claſſem ſociorum ſexaginta navium in Aſiam reduceret, Tarentumque appuliſſet, atque ibi uxor ejus Oreſtilla, quæ illuc cum proſecuta fuerat, morbo preſſa deceſſiſſet: funerata ea, & in rogum impoſita, inter officium ungendi, & oſculandi, diſtricto ferro incubuit. Quem amici, ſicut erat, togatum, & calceatum, corpori conjugis junxerunt: ac deinde ſubjectis facibus, utrumque unà cremaverunt. Quorum ibi factum ſepulchrum Tarenti etiamnum conſpicitur, quod vocatur τῶν φιλούντων. *Valer. Max. l.4. c.6. & Volat. l.18.*

C. CÆSAR Caligula, audita morte Druſillæ ſororis, juſtitium indixit: in quo riſiſſe, laviſſe, cœnaſſe cum parentibus, aut conjuge, liberiſve, capitale fuit. Ac mœroris impatiens, cùm repentè noctuque profugiſſet ab urbe, tranſcurriſſetque in Campaniam, Syracuſas petiit: rurſuſque inde properè rediit, barba, capilloque promiſſo. Nec unquam poſteà, quantiſcunque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, niſi per nomen Druſillæ dejeravit. *Sueton.*

PAULINA, uxor Senecæ, cùm mariti mortem jam imminentem ferret graviter: Cave, ait Seneca, hanc meam mortem amplius ut contumelioſam defleas, ne vel me minùs amaſſe, vel gloriæ meæ invidiſſe videaris. *Auctor vitæ.*

* HERODES ſophiſta, uxoris Regillæ mortem luxit impotentius, adeò ut picturas, & ornamenta domus coloribus atraret, velit pullis tegeret, ac lapide Lesbio obſcuraret omnia: nam is funeſtus, ac niger eſt. Quodam die cùm Lucius, qui fruſtra conatus fuerat Herodi perſuadere, ut lugeret moderatiùs, pueros videret in fonte ædibus vicino lavantes raphanides, rogabat, Cui pararetur ea cœna? illi reſponderunt, Herodi. Tum Lucius: Injuriam facit Regillæ, qui albis radiculis veſcatur in atra domo. Id ubi renunciatum eſt Herodi, amovit ab ædibus funeſtam ſpeciem, ne apud probos viros traduceretur. *Philoſtrat. in Sophiſtis.*

Obſeſſi à Britannis Scoti cum Rege Reuthere, fame coacti eruptionem fecere, ſed ab hoſtibus circumventi ad unum fuere trucidati. Eorum mulieres aut mutuis vulneribus, aut laqueo vita finivere, ne maritis ſupereſſe cogerentur. *H. Boeth. l.2.*

Cæſo ASMUNDO Sueonum Rege in acie ab Hadingo Danorum Rege, Gunnilda, ne marito ſupereſſet, ſpiritum ſibi ferro eripuit, virumque fato inſequi, quàm vita deſerere præoptavit. Hujus corpus amici ſepulturæ mandantes, mariti cineribus adjunxerunt: dignam ejus tumulo rati, cujus caritatem vitæ prætulerat. *Saxo l.1.*

CÆCILIA BARBADICA Veneta, mortuo viro Philippo Vendramino, nec monitis, nec precibus propinquorum ad veſcendum aliquo modo impelli potuit: nulloque reſponſo dato, mortua eſt. *Fulg. & Egnat. l.4. c.6.*

FRATRUM
Repulſam.

P. RUTILIUS levi morbo impeditus, adeò de fratris dignitate ſollicitus fuit, ut in petitione conſulatus audita ejus repulſa continuò animam efflaverit. *Sabell. l.3. c.7. ex Plin. lib.7. cap.36.*

Mortem.

HYAM à Leone devoratum, ſorores Hyades lamentatione miſerabili proſecutæ ſunt, adeò ut mœrore vitam finiverint, Deorum demùm commiſeratione relatæ ſunt in ſtellas. *Pontanus.*

Mox Hyadum chorus Eois emerget ab undis,
Fratris Hyæ quas perpetuus dolor indidit aſtris.

Sorores

Sorores Phaethontis, quæ Heliades, & Phaethontides appellantur, fratrem cœlo deturbatum tantis lachrymis deploraverunt, ut Deorum commiſeratione in arbores commutatæ ſint. *Ovid. in Metam.*

ZEANGIRUS, Solymanni Turcarum Imp. ex Roſſa ſerva filius, audita, & viſa morte fratris Muſtafæ, inſidiis novercæ Roſſæ interfecti, gladio incubuit. *Aſcan. Centorius lib.6. com bellorum Tranſylvaniæ.*

---

* Putatio.

Ut eſt idem quòd CONSIDERATIO.
Unde

PUTARE. PUTABAM.

Voces, & res uſitatæ apud omnes homines: germen, & radix errorum.

DEFINITIO, ET USUS VOCIS.

PUtare prout ad animum refertur, eſt conſiderare, opinari, mente revolvere, translatum à ſignificatione, quam habet in rebus corporalibus. Eſt enim propriè putare idem quòd reſecare, amputare ſuperflua ex arboribus, & cùm animo quid revolvimus, reſecamus mente, quæ falſa, aut inutilia, & vero, aut veriſimili, cogitatione adhæremus. Nonnunquam, & communius, pro exiſtimare, & judicare accipitur, neque quidquam familiarius dicitur, quàm in omni eventu, qui præter opinionem contingit, non Putabam, & appellat hoc germen erroris, & ſtirpem omnis mali. *Joannes David* è Societate Jeſu, in particulari libello, quem Putabam inſcripſit: ex quo pleraque in hunc locum congeſſimus.

Dicti PUTABAM origo.

APOPHTHEGMATA, ET EXEMPLA.

Memoranda profectò illa Scipionis Africani ſententia, non dicendum unquam ſapienti, *Non putaram.* Quam tametſi non ſemel protuliſſe potuerit; non dubium tamen, quin illam potiſſimùm primùm uſurparit, cùm occaſione errati in diſciplinam militarem commiſſi turpe eſſe ajebat, in re militari tam vile velamen, tam gravi errori obtexere. Videlicet (ut Maximus ille Valerius inquit) quia explorato, & excuſſo conſilio, quæ ferro aguntur, adminiſtrari oportere arbitrabatur ſumma ratione. Inemendabilis enim eſt error, qui violentia Martis committitur. *Val. Max. l.7. c.2.*

Hoc autem notatu digniſſimum dictum, (infami inquam charactere) *Putabam*, ſeu potius, *Non putaram;* quod Latini, ut videmus, Scipioni majori adſcribunt; *Plutarchus in Græcorum Imperatorum Apophthegmatibus*, Iphicrati tribuit. Qui dum aliquando in amicorum, & ſociorum agris ſuum haberet exercitum; nihilominus tamen vallum facere, & foſſam fodere voluit. Quam ob cauſam, cùm à quodam parum fortis, & animoſus eſſe judicaretur, reſpondit: Peſſimam eſſe Ducis vocem, dicere, *Non putaram:* ſignificans, in rebus tranquillis interdum exiſtere periculum, quod nullus expectaſſet. Adversùs inopinatos caſus proſpexit ſuis copiis: ne, ſi quid accidiſſet, dicere cogeretur; *Non putaram. Plutarch. in Apophtheg. Græcorum.*

Cùm igitur Scipio ſapienti ne ſemel quidem ita errare concedit, ut in errati purgationem dicere cogatur, *Non putaram;* manifeſtè declarat, inſcitiam, & defectum prudentiæ in cauſa eſſe, ut quis in infamem illum ſcopulum imprudens impingat: qua ſi præditus fuiſſet, non erraſſet tam turpiter, ut illud *Non putaram* ſuo errori prætexere cogeretur. Nam, ut in oratione pro Murena prudenter notavit Cicero, Temeritas cum ſapientia non commiſcetur. Ubi ergo locum habet temeritas, neceſſe eſt ibidem ſapientiam exulare. Ubi autem exulat ſapientia, non poſſunt non multi, magnique committi errores; nihilque tunc habent errones ipſi, quo ſuo pudori, ac turpitudini conſulant, quàm ut ſuammet ore proprio inſcitiam prodant, dicentes, *Non putaram.*

PUTANDI ERRORES.

Vix ullus in uſu quotidiano error committitur, ſive in magnis, ſive in parvis rebus, qui ex hac Putandi propagine non naſcatur: exemplis veritatem aſtruemus, ac primum.

ERROR GENERIS.

Errorem hic generis appello, quando quis ſe alicujus proſapiæ eſſe putat, vel ab aliis creditur, cujus verè non eſt. Fingentes aſtu quodam ſe eſſe: majoris lucis gratia, exempla adjungemus.

Quanto tempore parvulus, & inexpertus erat Moyſes, putabat ſe filium eſſe filiæ Pharaonis, eò quòd illa ex aquis acceptum in locum adoptaſſet; ſed grandis factus, & rei veritatem comperiens, negavit ſe eſſe filiæ Pharaonis filium, atque illo ſe jure abdicavit: magis (ut inquit Apoſtolus) eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans Theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti. *Exod. 2. ad Hebr. 11.*

CAMBYSES, Perſarum Rex, Smerdem quemdam, inſignem magum, adſpexit ut fratrem, eo quòd & nomen, & vultus ſimilitudo eumdem ad vivum exprimerent: dumque errorem putandi nec ſatis detexit, nec ſatis cavit, jam regno exutus erat, ſeque ilio Smerdes veſtiverat; quietuſque poſſediſſet, niſi fraus per Othonis filiam detecta fuiſſet, deprehenſuſque Smerdes iſte, auriculis privatus, non eſſe is, qui fuerat creditus. Felicior itaque dicendus fuiſſet Cambyſes quàm prudentior, qui fallaci *Putabam* plus æquo confiſus fuit. *Bapt. Fulgoſ. l.9. c.16.*

Proconſul quidam Romanus cùm Siculum quemdam ob quam neſcio cauſam virgis, ſecuribuſque ſubjectum, ſui quàm ſimillimum animadverteret, diceretque mirari ſe, quapropter ſui tam ſimilis eſſet, cùm pater ſuus in eam provinciam numquam acceſſiſset: At meus (inquit ille) Romam frequenter acceſſit. Joco quidem audaciore, quàm talem hominem eò loci conſtitutum decebat, laceſſitam matris ſuæ pudicitiam invicem ſuſpicione in matrem Prætoris rejecta, ultus eſt: ſed interim tamen verè, tam ancipiti retortione, rem fecit ambiguam, utrùm ipſe vel ex patre, vel ex matre Proconſulis ejus ſaltem aliquo modo vel uterinus, vel germanus eſſet frater. *Val. Max. l.9. c.16.*

HEROPHILUS Equarius, medicus, C. Marium ſepties Conſulem, avum ſibi vindicando, ita ſe extulit, ut coloniæ ſe veteranorum complures, & municipia ſplendida, collegiaque ferè omnia patronum adoptarent. Quinetiam, cum C. Cæſar, Cn. Pompejo adoleſcente in Hiſpania oppreſſo, populum in hortos ſuos admiſiſset, proximo intercolumnio penè pari ſtudio frequentiæ ſalutatus eſt, quod niſi divinæ Cæſaris vires huic erubeſcendæ procellæ obſtitiſſent, ſimile vulnus Reſpubl. accepiſſet, atque in Equitio acceperat. Cæterùm decreto ejus extra Italiam relegatus, poſtquam ille cœlo receptus eſt, in urbem rediit, & conſilium interficiendi ſenatus capere ſuſtinuit: quo nomine, juſſu patrum necatus in carcere, feras prompti animi ad omne moliendum ſcelus pœnas pependit. *Ibidem.*

Ita Quidam Octaviæ ſororis Auguſti utero ſe genitum fingere auſus fuit, ſuoque loco à nutritio alium fuiſſe ſuppoſitum: videlicet, ut ita penates, & veri ſanguinis memoria ſpoliarentur, & falſi ſordida contagione inquinarentur. Sed cùm plenis impudentiæ velis ad ſummum audaciæ gradum fertur, imperio Auguſti, remo publicæ triremis affixus eſt. *Ibidem.*

Nonne ita quoque repertus eſt, qui ſe Q. Sertori filium diceret? Nonne quidam, Cornelio Sylla Republica potiente in domum Cn. Aſſidionis irrupit, filiumque ejus patriis penatibus expulit, vociferando, non illum, ſed ſe Aſſidione eſſe procreatum; ſed juſtiore Principe obtinente Rempublicam, in publica cuſtodia ſpiritum poſuit. Nonne ita & Mediolani pro Rubria ſe quædam obtruſit, nihilque ad ſe pertinentibus bonis inſeruit, nec ei aut tractus illius ſplendidi teſtes, aut cohortis Auguſti favor defecit: ſed inexpugnabilis Cæſaris conſtantia irritam nefarii propoſiti reddidit. *Ibid.*

CONJUGII.

Errorem conjugii intelligimus, quando non ſolùm alter conjugum cum alio contrahit, quàm putabat, vel alius ei ſupponitur, quàm cum quo contraxit: verumetiam quando conjugalem, vel eò ſpectantem inſignem actum exercet in alium, quàm exiſtimabat, velut etiam in conjugem, alium credens: quod exemplis dilucidiùs explicabitur.

Patriarcha JACOB, in Meſopotamia Laban avunculo ſuo ſeptem annis ſervivit, pro Rachele filia ejus ætate minore, ſed pulchra valde: & expleto nuptiarum convivio, veſpere Laban pro Rachele Liam introducit in thalamum. Jacob vero rem non deprehēdente, niſi cùm facto manè pro Rachele Liam invenit, dixit ille ad ſocerū ſuum: Quid eſt, quod facere voluiſti?

nonne